

PATAVIJ Typis Pauli Fra[illegible] M D[illegible] L[illegible]

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

FRANCISCI ZABARELLÆ
PATRICII PATAVINI

Eminentiſſimi Iuris Vtriuſque Interpretis

Et

S. R. E. Cardinalis Florentini

DE FELICITATE
LIBRI TRES

S. D. N.

ALEXANDRO VII.
PONT. OPT. MAX.

A'

CO. IACOBO ZABARELLA

Conſecrati.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



PATAVII, MDCLV. 129

Typis Pauli Frambotti Bibliop. *Superiorum Permiſſu.*

BEATISSIME PATER.

O*PVS hoc de* FELICITATE *ſupra duo ſecula latuit. Cum in orbe felicitas inueniri non poſſet, triceſimo hinc anno è tenebris erutum lucem attingere non potuit, quamuis de ipſo edendo diuerſæ fuerint ſententiæ. Summo nempe viro magni Cardinalis labor deſtinandus erat, nec aliis. Tibi igitur, Sanctiſsime Pater, ac nomini tuo dicatum, omnes conſpicient eius monumentum, qui pro S. R. E. tot labores anguſtiaſque tulit, donec ipſum Deus cælis adeſſe iuſſerat. Sanctitas pariter tua poſtquam tot itinera labores variaque onera pro Eccleſia Dei, ac pro pace Germaniæ reſtituta ſuſtinuiſſet, ad culmen meritis propriis euecta, Principum Princeps ab omnibus Chriſti Fidelibus adoratus nunc fulget. Audacior forte nonnullis videbor, dum perexiguo hoc munere ad Sanctiſsimos pedes tuos venerabundus aduoluor. Spe tamen firma erigor, Beatitudini tuæ virum de Deo optime meritum mea præſentia comparere, dum ad Maieſtatis tuæ genua pro*

cum-

cumbens ſub tuo regimine Eccleſiæ felici meis manibus Libros de Felicitate porrigens, Tibi fauſtam dignitatem intime auguror. Sic Altiſſimo rerum Moderatori viſum fuit, ut nunquam ille in lucem exiret, niſi cùm lux Orbi orta eſſet. Neque enim de Felicitate cogitandum erat, niſi cùm Eccleſia inſigni felicitate gauderet. Quo etiam nomine mihi meæque familiæ in primis lætabundus gratulor hoc meæ deuotionis ſpecimen tuis Muſis Gratiiſque fuiſſe acceptum. Quod Deus Orbi Chriſtiano perenne velit.

Patauii a. d. VII. *Octob. MDCLV.*

Sanctiſsimo Numini Tuo

Deuotiſſimus
IACOBVS ZABARELLA.

CO. IACOBVS ZABARELLA
Ad Lectorem.

FRANCISCVS ZABARELLA meus Propatruus maior ante purpuram opus hoc de Felicitate compoſuit. Grauiſſimis autem S.R.E. negotiis impeditus non edidit, immò Florentina mitra atq; pileo purpureo decoratus omnem ſuam vim ſtudiumque ac labores in eo poſuit, ut Eccleſia a plurimis anguſtiis liberaretur. Quod & obtinuit. Immenſo tamen pondere ingentis rei ſuperato occubuit, & Apoſtolicæ Sedi felicitatem reliquit. Quamobrem nec mirum, ſi liber iſte inter familiæ monumenta adeo latuerit, ut primum comparuerit An. Dom. 1624. à quamplurimis viris eruditis iudicatus: luce digniſſimus cuius etiam edendi curam Laurentius Pignorius in ſe ſuſcepit, ut ſub auſpiciis Sanctiſs. Pontificis VRBANI VIII. exiret. Verum inſigni hoc viro peſtilentia Pataui infeſta magna litterarum iactura ſublato, ipſius Muſeum Dominico Molino Senatori Veneto legatum, cùm poſt eius obitum ad Sereniſs. Franciſcum eiuſdem fratrem tranſiuiſſet, Libri omnes ſcriniis clauſi numquam in conſpectum venere: nec vllus ex eo libri noſtris impenſis, & Pignorii ingenio illuſtrati nobis vſus eſſe potuit. Vnum ſupererat domi exemplum Petri Pauli Vergerii ſenioris (qui in Conſtantienſi Concilio Scrutatoris Officio functus erat) manu in membranis An. 1400. deſcriptum, cuius vulgandi

curam

curam itidem Iacobus Philippus Tomaſinus Aemoniæ Præſul ſuſceperat. Ipſo autem mortalibus nuper exempto, liber in hunc diem apud nos latuit. Felix autem dies nunc illuxit, quo Beatiſs. ALEXANDER VII. ad Pontificiæ dignitatis faſtigium euectus huic de Felicitate operi ſplendorem atque auctoritatem addere valuit: cuius beneficio vniuerſus orbis ſumma nunc gaudet felicitate: cuius inſigni Tiara ſanctiſque moribus hoc ingenii monumentum ſibi perennitatem promiſit, quam eximius præclari auctoris, ac de patria literiſque benè meriti labor poſtulat. Quiſquis ille tandem fuerit, ad æui conſuetudinem exigatur velim, quo bonis literis prope deperditis priſcum decus acceperit. Mei vero muneris fuit, ne familiæ noſtræ quicquam diſcederet, ipſum ab edaci temporis iniuria vindicare. Quod ut commodius fiat, ſemota priſci æui ſtribligine opus renati ſermonis Latini venuſtate exaſciatum in ea incidit tempora, quibus beatitudo diuturna mortalibus affulſit.

FRANCISCO ZABARELLÆ
Nondum in Cardinalium Collegium cooptato.

OMnia iam dudum cùm ſint communia nobis,
Ingenii propriè laus tibi ſola fuit,
Qua procul Auſonio latè cognoſceris orbe,
Et celebrat nomen barbara terra tuum.
Hoc quoque partiri mecum cupis uſque benignus,
Ne quid forte tibi ſit ſine me proprium.
Nomina namque tuo ſubſcribis noſtra libello,
Meque operis tanti vis fore participem.
Hoc ego nec mereor, nec me pars ulla laboris
Contigit; omnis erat cura laborque tuus.
Si tamen immeritum titulis ornare paraſti
Talibus, ecce patet area lata tibi.
Scribis enim ſemperque premis ſine pace papyros,
Senſa quibus legum diſcutis ambigua.
His nomen præſcribe meum, quo prædicer amplis
Hinc ſacra commentus Iura voluminibus.

P. PAVLVS VERGERIVS
Iuſtinopolitanus.
An. clɔcccc.

Si commemorano gli Aſcendenti di N. S.

PAPA ALESSANDRO VII.

E ſe ne caua Augurio di Felicità ai tempi futuri.

FABIO, che d'ALESSANDRO il nome preſe,
Nacque di FLAVIO, ei fù di MARIO il fonte,
Sprezzator de i perigli, e de la morte,
E del Prode GISMONDO egli diſceſe.

MARIAN di AGOSTIN di NANNI aſceſe
I ſeggi pria de la ſublime Corte.
Pria LORENZO ſalendo ottenne in ſorte
Gl'inchini hauer del Popolo Saneſe.

GHISIO d'ANSELMO di RANVCCIO nato
Notabil Padre fù di quel GIOVANNI,
Che il Choro Agoſtinian chiama BEATO.

Lungi da queſta Età fuggite affanni,
Poiche di ſeme tale il Ciel n'hà dato
Col PASTOR SANTO il Paradiſo a gl'Anni.

Di Gaſparo Bombaci
Nobile Bologneſe.

Errata operarum grauiora ſic emendanda.

Pag.	8	verſ. 8	opponere
	9	11	perplexitas,
	10	11	a non perfectis
	12	10	gente,
	13	7	obſcœnitatis.
	14	26	quaſi Fabritio
	16	22	ſilicernium,
	17	13	faciundo
	24	5	morti offerremus
	25	20	fore
	46	7	eripi
		28	infirmo
	50	3	abſurdiſſimam
	57	29	volui.
	58	17	ut quæ de
	67	3	præceptorem.
	72	10	auſu
	73	8	jacit
	75	7	ratiunculas;
	77	20	effectusvltimus,
	89	24	eſt *deleatur*
	95	27	ut feliciores ſimus,
	96	22	*Hac*
	101	12	qua
	102	26	ſi tactu
	104	21	*afferent*
		22	*Quid olfactus odorabitur*
	116	1	*Dotibus Corporis beati:*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SS 3


FRANC. ZABARELLA Pat. Eminentiss. Iur. Ver. Interpres. S.R.E. CARDIN. FLOR. Leg. Apost. Concilij Constant. Moderator. Vi. Pont. Max. Designatus. Obijt Anno D. 1417 Die 23. Sept. Aet. Suæ LXXVIII
Ingeniũ, Mores, et Suadam, Purpura monſtrat.
Morte Tiara triplex anticipata fuit.
Sic meritis Dñum Sibi quem promiſerat Orbis,
Concilio superûm iuſsit adeſſe Deus.
INSIGNIA
SYMBOLVM

INDEX CAPITVM

LIBRI I.

I. PRoœmium. Pag. 1
II. Dialogus introducens materiam de Felicitate triplici. 4
III. Ordo procedendi, vt primo improbetur opinio quæ felicitatem ſtatuit in Voluptate. Secundo determinetur de Felicitate Viuentium: & de hoc in Secundo libro. Tertio de Felicitate Beatorum: & de hoc in Libro Tertio. 9
IV. Multa exempla Principum, & priuatorum voluptate perditorum: & eorum deteſtatio, & commendatio Fabricij. 12
V. Introductio ſenis longæui, & laus Sobrietatis. 15
VI. Explicatur Doctrina Epicuri, & eius Improbatio: & multiplex deteſtatio Voluptuoſorum. 19
VII. De eadem re, & nonnulla de Medicis: Laus ſobrietatis. 23
VIII. Reducitur Epicurus ad concordiam cum aliis Philoſophis. 28

LIBRI II.

I. Proœmium. 32
II. Dialogus introducens materiam Libri Secundi: & de variis opinionibus circa Felicitatem. 34
III. Quod in diuitiis non ſit Felicitas: & multa pericula diuitibus imminere. 36
IV. Quod in potentia Principatus non ſit Felicitas: & multo-

multorum Principum infortunia 44

V. Quod in Honore, Fama, & Gloria, non ſit Felicitas. 48

VI. Quod in Speculatione non ſit Felicitas: & ſcientiarum Comparatio; & Laus Sapientiæ Canonicæ, & Ciuilis. 52

VII. An in virtute, an Virtutis operatione potius ſit felicitas: & quod non tam in his, quam in Deo. 61

VIII. Confutatio eorum, qui negant hominem poſſe operari virtuoſe: & multorum promiſcui ſexus relatio, qui fuerunt virtuoſi, cum Gentilium, tum Catholicorum, & nominatim de aliquibus Sanctis, maxime Iuſtina, & Proſdocimo. 65

IX. Confutatio negantium æterna Felicitatem. 71

X. Diſputatio aduerſus eos, qui negant Deum eſſe, ullumue finem in cauſis. 74

LIBRI III.

I. Proœmium. 80

II. Dialogus introducens Materiam Libri Tertii: & quod beatitudo cæleſtis eſt Deum intelligere, tenere, frui. 83

III. Si una eſt beatitudo cæleſtis, cur ſeiunguntur tria illa, Deum intelligere, tenere, frui: & gloriam beatorum non eſſe in omnibus parem, tamen alium alii non inuidere. 86

IV. Obiectio ad præmiſſa, quia videatur beatus, non optando ſedem beatioris, illum præ ſe diligere: & ſolutio. Item Quæſtio, an in illis tribus, Deum vi-

dere

dere, tenere, frui, pariter ſit beatitudo: an vero in horum aliquo principalius. 91

V. Argumenta pro, & contra: An in ſpeculatione ſeu Viſione Dei, an in frutione ſit beatitudo. 93

VI. Solutio quæſtionis præmiſſæ, an in ſpeculatione, an in fruitione, ſit beatitudo: & inſuper, quid de comprehenſione. 97

VII. Formantur aliquot Quæſtiones de conſummata beatitudine: & ſoluitur vna; qua ratione beati ante reſurrectionem ſine corporis oculis Deum vident. 102

VIII. Soluitur alia Quæſtio: Si beati Deum vident ante reſurrectionem, quid commodi afferent corporei oculi poſt reſurrectionem. Et ſoluitur etiam alia: Quid olfactus odorabitur in cælo. 104

IX. De eadem re, ſcilicet de Olfactu. Item ſoluitur alia Quæſtio, quid Guſtus diſcernet in cælo. 108

X. De Comprehenſione beatorum. Quid ad eam operabitur corporum reſumtio. Et pro parte ſoluitur Quæſtio: Cùm Beati diligant Deum, an volentes, an inuiti? 111

XI. De eadem Re. 113

XII. De quatuor Dotibus Corporis beati: & Concluſio Libri. 116

Epilogus. 119

FRANCISCI ZABARELLÆ PATAVINI, I. V. D.

S. R. E. Cardinalis Florentini,

AD

PETRVM PAVLVM VERGERIVM IVSTINOPOLITANVM

Omnium ſcientiarum doctiſſimum

DE FELICITATE

LIBER PRIMVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Proœmium. Cap. I.

MVLTA & præclara naturæ munera cernuntur in rebus, in his præcipue, quæ ſunt animata, quarum omnium (cœleſtes ſemper excipio) præſtantior homo. Eius enim ad cæteras quaſque res tam inanimatas, quam anima conſtantes & corpore, tanta eſt excellentia, quanta Regis ad ſubiectos, aut quantum Domini ſuper mancipio. Quod facile licet intueri, ſi diligenter inſpexeris cum earum tum hominis conditiones, & naturam; hæcque iuxta compoſueris, & compares. Tum continuo videbis quantum habet homo in ſe boni, quicquid illæ habent. Verum & aliud quidem præſtantius. Nam eſſentiam in homine reperiri communem cum rebus inanimatis, Animam vegetabilem cum arbori-

136

bus & plantis, ſenſitiuam cum pecoribus & brutis, quis ignorat? Quis præterea non videt ſuper hæc omnia ſublimatum a Deo eſſe hominem ex ratione, & intellectu, quo dominium nactus eſt omnium quæ terra, quæ mari, quæ aere, quæ æthere continentur, aut ſpirant? Igitur infra cœlorum ambitum nihil homine perfectius, nihil illuſtrius; quin & nihil perfectione aut dignitate compar homini, vt qui vnus complectitur omne quod eſt in reliquis non cœleſtibus rebus bonitatis & eminentiæ. Ad ipſius vero hominis excellentiam rerum illarum nulla, ſed nec omnes aſpirant, aut certe proxime non accedunt. Sed quid ad res nõ cœleſtes me coarcto? Nõ cœleſte ne putamus quicquid in homine conſpicitur? Annon potius a Deo humana anima? Vnde etiam diuina res appellatur, quia tributum quoque homini à Deo eſt principium illud & excellentiſſimum munus, vt ad imaginem immortalis Dei perhibeantur conſtare mortales. Ita in homine quanquam corruptibili ſimilitudo relucet incorruptibilis æternitatis. O ineffabilem Dei munificentiam! Quid enim potuit excelſius, quid dignius, quid amplius humanæ naturæ tribuiſſe? Niſi aut ſuam omnipotentiam, aut infinitatem, aut immortalitatem, aut reliqua diuinitati non humanitati competentia tradidiſſet. At cuius rei non incapaces homines fuere, rem hanc maximam eis eſt gratificatus. Ea eſt, quam diximus, vt in homine refulgeat imago Diuinæ Maieſtatis, hoc quidem ordine, & modo: quoniam ſicuti ſe ipſum Deus intelligit, atque amat, ſic & homo, cùm in ea quæ Dei ſunt extendit animum, mox Deum cognoſcit & diligit. At minus perfecte, dum mole corporis anima præpe-

ditur.

ditur. Perfectè autem poſteaquam abſoluta carnis ergaſtulo cœlum petiit. Vbi Deum intuetur & intelligit perfecta notitia, qualem maximam iuxta Dei prædeſtinationem capere poteſt. vbi & in Deum fertur amore completo, quem ſupremum ex eadem prædeſtinatione ſufficit amplecti. Ex his ſane rebus cognoſcendo Deo ſcilicet atque amando credere fide Catholica ſuademur humanam naturam aſſequi felicitatem. Imperfectam vero illam, quouſque detinemur in terris, perfectam vero cùm euolamus in cœlos. Ibi enim perfectiori notitiæ, atque amori, quibus, vt diximus, anima Deum intelligit, eique inhæret, adjicitur certitudo, qua ſe nouit beatitudinem illam ſine termino poſſeſſuram. De hac autem humana Felicitate Tu & ego multo ſermone; res enim digna eſt cum ſuapte natura, tum hominum exiſtimatione; diſſerere conſueuimus; nec tantum quæ ipſi putaremus eloqui, ſed & Philoſophorum arculas rimari, eorumq; varias de Felicitate ſententias. Illum autem ſermonem dignum cenſui, qui litteris mandaretur, tum quia vtilis ad inſtitutionem vitæ, tum ad tuendam inſtitutam accommodatus, tum mihi dum te careo periucundus, tamquam qui te ipſum mihi ſiſtit ante oculos. Vt enim abſis, hic tamen quo cum diſputo non tantum tui meminiſſe me facit, ſed prope intueri, & colloqui; quo iucundius duco nihil, aut dulcius. Sed cùm hoc ipſum antehac conficere ſperaſſem, hactenus tamen abſoluere nō valui nimium vt noſti occupatus lectione ſacrorum canonum auditoribus interpretanda. Quod munus, quia publico decreto foret iniunctum intermittere non poteram. Nunc quia feriæ ſunt apud nos omnium ſtudio-

rum,per dies aliquot viſum eſt vt id exſequerer. Ne vero inquam & inquit ſæpius immiſceantur, diſputationem ipſam, non tamquam quæ referatur, ſed quæ agatur, explicabimus. Ergo ſic exordiemur.

Dialogus introducens materiam de Felicitate Triplici. Cap. II.

FRANCISCVS, & DISPVTANS.

F. Quid eſt Humana felicitas? D. Voluptas ſeu delectatio. F. Sed hæc ipſa delectatio motus eſt animæ ſenſibilis. D. Quis id ait? F. Ariſtoteles. D. Nunc memini. quid tum? F. In ſenſu ergo humana felicitas. D. Conſequens videtur. F. Et ita corporeum bonum. nam & ſenſus vis eſt corporea. D. Sic opinor. F. At hoc quam turpe, quam abſonum. D. Cur? F. Cur ampliſſimus eſt codex, ut aiunt. Sed ne cogites id quod nunc dixi, ſi rationis amictu caruerit, etiam carere veritate; eius eam cauſam dico. Quia felicitas ipſe humanus eſt finis. Cuius finis ſedem conſtituere nō in anima parte hominis nobili & ſublimi, ſed in corpore parte humili & abiecta, non magis eſt conſonum rationi, quàm ſeruum imperare, dominum obtemperare. Mancipium enim eſt animæ corpus humanum; Regitque corpus veluti iumentum dominus anima non imprudens. Ac ipſius quidem animæ prętantiam ſupra corporeos affectus apud Maronem Anchiſes ita retexuit.

Igneus eſt ollis vigor & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus moribundaque membra,

Hinc

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentq; , nec auras
Reſpiciunt clauſæ tenebris & carcere cæco.

Igneus ille vigor. Ea cœleſtis origò videnturne ſibi aliud indicare, quam animam, quæ vtitur ratione? D. Minime. F. An ergo hæc anima in homine non felix? An corpus affluens, vt te putare dixiſti, beatitudine ſuo tecto ſuſcipit animam, vt eadem ſit, eiuſque corporis eſt felicitas? An vero ſua beatitudine gaudet anima; ſua & propria corpus exultat? D. Videre videor te hoc inuolucro velle me tanquam latenti & tenebroſo calle in id traducere, vt ſegregem à corpore animam, quam immerſam corpori multi afferunt. Nam ſi non eſt aliud anima quàm vis corporis: ſi eſt & ipſa incorporea, quid loci habet iſta diſtinctio? F. Quid illi multi de anima ſentiant omittamus. Te autem nil hærere putabam, quin animam à corporea concretione ſeiungeres, cùm audiſſes: quoniam *Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo ſeminibus*; & reliqua quæ præmiſimus; Neque enim fieri poteſt, vt corporeis rebus, his dico, quæ graues tenebroſę terreſtreſq; ſunt, cœleſtis origo conueniat. D. Non cœlorum virtute fiunt, quæcumq; gignuntur, aluntur, augeſcunt? Hæc tamen grauia tenebroſa terreſtriaq; eſſe cognoſcimus. F. At non è cœlo procedunt, niſi cœleſtia. Aliud enim eſt vi cœlorum ex elementis gigni, aliud originem è cœlo ducere, ne qua intercidente miſtione cuiuſpiam elementi, qualis videtur eſſe humana anima, cuius originē non ab elementis eſſe, ſed a cœlo, multa confirmant: eà præcipue, quoniam, vti ſapientibus videtur, nulla corporea vi gignitur, nec alimento fit grandior. Sed nec vlla vi corrumpitur, aut minuitur inedia. D. Sunt idem

ſapien-

ſapientes, qui cenſeant eam è materiæ potentia duci, & ita eſſe generabilem, & corruptibilem. F. Tu quos imitere, cedo? D. Quos libet, tum cùm de anima cogor agere, quod opus numquam ſubeo niſi aut inuitus aut plane non libens ob eius nimiam incertitudinem. F. Nunc vero quos? D. Si vnos præferam, hique tibi non probentur; ecce inter te & me luctam paratam, & non exiguam, qua nimirum poſſet intermitti, quod cœpimus. Id igitur vt proſequare, quoniam gratius mihi eſt magiſq; conducere arbitror, fare, age, mihique volenti, & poſcenti tute præſcribe quibus velis vt aſſentiar. F. His profecto quibus ego, vt exiſtimes cœleſtẽ ſpiritum eſſe animam nulla conditam vi corporea, nullamq; extra ſe præter Deum habentem cauſam ſui. D. Quid poſtea? F. Reſtat, vt illi quæſtioni reſpondeas. Si corpori felicitatem tribuis, an ſoli? An & animæ eandem? D. Prorſus eandem. F. Et eam in Voluptate ſtatuis? D. Statuo quidem. Statuit & Comicus, qui Deorum vitam propterea ſempiternam arbitratur, quod eorum voluptates propriæ ſunt. F. Iuuenis & amantis hæc fuere, qui cœco carpitur igni, vt ait Maro. Tu autem non cæcus; quanam ratione prolaberis, vt felicitatem ſtatuas in voluptate, quæ non eſt tam hominum propria, quam pecudum; tamquam quæ eſt, vt etiam ante diximus, in ſenſu, quem non minus in iumentis eſſe, quam in hominibus abditum eſt nemini. Quia ſi rogetur quiſpiam vel indoctus, vellet ne copijs omnium voluptatum affluere, ſed ſine vſu rationis, nemo ſit qui conditionem accipiat. Tibi vero his litteris non modo enitendum, vt idem tibi perſuadeas. Sed niſi id a te conſequaris, vt in promtu tibi ſit eos

euin-

euincere, quæ contra ſentirent, verendum eſt, ne non reſpondiſſe tantæ literaturæ videare. D. Non ſine rubore, quę de literis in meam laudem dicere tibi libuit, audiui. Dicas enim ac ſentias de me quam velis magnifice, tamen ipſe meæ conſcius ſum mediocritatis. At flagrantem ſtudiorum me non negauerim, & in quaque re quæ dicatur aut fiat inueſtigandæ rationis. Id ergo quod ais quemque fugiturum voluptates, ſi rationis vſu cariturus ſit, quid quæſo munimenti tibi affert? Nam voluptatibus vt fruamur, an rationem ponere neceſſe eſt? F. De ratione nequaquam dixi, ſed de vſu rationis, quæ voluptas non ſepe recipit: expugnat autem ſepiſſime. Sed quid tecum leniter agendo tempus tero? Audi. Audi, quam tibi longe abſum. Neq; enim id mihi tantum videtur non eſſe in voluptate felicitatem, ſed nec eſſe poſſe cum voluptate. D. Cauſam adjicito. F. Quia voluptatibus frui licet dumtaxat in vita: viuentium autem neminem contigit eſſe felicem. Quod non latuit patientiſſimum virum Iob, qui fleuit hominem repletum eſſe multis miſerijs. Quid enim habet vita commodi: quid non potius laboris, vt ait Cicero? D. Omnes ergo qui viuimus infelices. F. Non protinus, qui felix non ſit, arbitror infelicem: habet ſane vita ſuam quandam felicitatem, quæ vt perfecta non ſit, & ita ne felicitas quidem ſit, modo tamen ſuo felicitas appellatur: hacque Regius propheta *beatos* dicit *immaculatos, qui ambulant in via domini*. Hi enim dum viam domini viuentes gradiuntur beati ſunt participatione veræ beatitudinis, quam aſſequendi morte obita vadem ipſi compararunt vitam immaculatam. Nam, vt apud eumdem prophetam eſt, *In taber-*

naculo

naculo Domini, vbi vera eſt & æterna felicitas, is habitabit, qui ingreditur ſine macula. Non ait: Is qui marcet in adipe voluptatum, a quibus immaculatus euadit nemo. ſed fœdi omnes, iniqui & impuri, quodq; ſepe fieri videmus & fatui & amentes: quoniam, vt Ariſtoteli placet, impedimentum eſt ei, quod eſt eſſe prudentem, delectatio. Tune igitur is es, qui minus prudentem ſapientiaque defectum poſſe cenſeas eſſe felicem? D. Ego cenſeam? minime. Semper enim exiſtimaui nihil infelicius inſipiente. Verum oppugnere ſapientiæ voluptatē hauddum etiam ſat intelligo; nec magis illa, quæ modo ſummatim, atq; vt aiunt vno verbo, perſtrinxiſti. Ediſſeras itaq;, atq; explices hæc obſecro lucidius. F. Quæ? D. Quæ modo dixiſti de Felicitate, quam veram prædicas. Quæ enim hæc ſit, ex te audire ſum affectus, ſimul & illud de viuentium hominum felicitate, quam dixiſti non veram, neceſſe ipſa, ſed participatione veræ beatitudinis conſtare: curq; tantopere repudies voluptatem: atq; in his explicandis continentem orationem commodiſſimam arbitror. Itaq; vt, quod apud Terentium eſt, *tacitus citius audiam, te dicentem nihil quicquam interpellabo.* F. Diſcere quam docere mallem in hac præſertim quæſtione crebro quidem agitata, necdum tamen parum dubia. Quam ob rem prior te rogaui, quid humana felicitas eſſet. At quoniam ita vis vt ipſe diſſeram, parebo magis, ne tibi morem gerere nolle nunc primum videar, quam vt ingenio confidam. cuius vim experiri palam & in arduis, quanti diſcriminis & periculi ſit, hi qui periculum fecerunt, intelligunt. Nos vero nihil ex nobis, ſed omnia ſperamus ex illo, qui dat verbum euangelizantibus in virtute multa. Hacq; fiducia rem tantam adorimur. *Ordo*

Ordo procedendi, vt primo improbetur opinio quæ felicitatem ſtatuit in Voluptate. Secundo determinetur de Felicitate Viuentium, & de hoc in Secundo libro. Tertio de Felicitate Beatorum: & de hoc in Libro Tertio.
Cap. III.

F. Felicitatem porrò quietem animi eſſe tranquillitatem pacationem, conſiſtentiam, ſine ſui diſſimilitudine, cuncti arbitrantur. Quæ vero res ea ſit, qua iſta conſequamur, in hoc non ſane multi, quin fere nulli, conueniunt, his vnum opinantibus, his aliud atque aliud: tantaque varietas eſt, tantaque adeo proplexitas, vt vbi te immerſeris, haud facile queas emergere. Sed nos, ita cenſeo, morem imitemur eorum, qui quo merces pecunia comparare poſſint mercatum adeunt. Vbi perſpexti (nil dubitem) ſi quando vina, pannos, venundent, quemadmodum hos tactu probant, guſtu illa, vtraque autem viſu, idque accurate: tum denique pluribus appoſitis, quæ repudiant, hæc rejiciunt. Sin quod libuerit id a licitatore pretio nanciſcuntur. Horum igitur inſtar agemus. Coram enim euocatis quæcumque ſunt de Felicitate ſententijs, ſi qua cæteris viſa fuerit obtuſior, hanc ante omnia computare, abiicere moliemur, mox & reliquas gradatim, unam petentes veram & certam, ſi modo id poſſimus. Sin minus, at vel veriſimilem, cui cum dignitate poſſit animus aſſentiri. Tu ſi rectius iter vllum cernis, inſinuare ne ducito moleſtum. D. Illud ipſum probo, quod omnium notionum procliuiorem & certiorem eam iudico, quæ collatis rebus, quibus

de agitur, facile pandit vnius ad aliam quanta ſit excellentia. Inde eſt, quod aiunt, quoniam oppoſita cominus admota clarius eluceſcunt. F Hoc igitur iter, quod bene vergat, Deo auſpice pergere ingrediamur. Et, vt ne quid remoremur, accedimus ad ea quæ popoſciſti. Sunt autem tria, ſi ſane percipio, de quibus velis a me diſputari. Primum de Felicitate vera: tum de illa, quæ non vera, ſed instar veræ eſt: poſtremo de Voluptate, cur cenſeo repudiandam. Hæc vero conuerſe perſequi commodius opinor, quo naturæ pareamus, cuius eſt mos, in quibuſque rebus edendis non perfectis initiis in media perfectiora tum ad extrema non conſummata proficiſci. Ita quod nouiſſimum fuerat principio ſtatuemus, vt abiiciendam eſſe voluntatem præmonſtretur. Inde ſoluentes iamque parum per edocti nonnihil animati beatitudinem inſiliemus, pedetentim tamen, vt antea quæ non vera ſit, tum quæ vera cognoſcamus. Atq; vt primum illud arripiamus de Voluptate, nolim exiſtimes oſum me quamq; delectationem, qui quammaxime curaui ſemper omni ſtudio mente depellere mœrorem omnem, ærumnam omnem, angorem, moleſtiam, afflictionem, perturbationemque omnem, & omnem ægritudinem; ſed & cruciatibus, quos afferunt corporis inualetudines, quandoque circumſeſſus, annixus ſum his non ſuccumbere: at eos regere, lenire, ſuperare, animi magnitudine atque imperio rationis. Quid igitur, inquies, eſt in voluptatibus quod odiſti, ſi mentis lætitiam, ſi corporis validitatem optandam ducis? Quandoquidem hæc ipſa voluptas ſunt, aut abſque his ea eſſe non poſſit. Iſtis enim ſubductis in hominibus ulla eſſe delectatio qui

poteſt?

poteſt ? Quid oderim rogas ? Odi quidem atque abominor eorum vitam, qui voluptatibus corporis indulgent, hiſque nimium perdite ſeſe dediderunt, ita ut exiſtiment, & palam dictent, in his ſolis humanam ſitam eſſe felicitatem: quia non eſſet in eis mens, animus, ingenium, ratio, perſpicacitas, peritia, doctrinaue vlla, aut vlla diſciplina, aut quaſi quæ delectent ea conſtituta ſint omnia in corporis bonis, nulla in animi. O infelices, ô exſortes, & ignaros humanæ fælicitatis: ô & turpes, & illotos, & fœdos. Itane nil in homine boni diſcreuiſtis, quod non aſſequi queat immunda ſus in volutabro? Eſtis ſani ? An ita obtuſi & tardi, ut hominem bruto nequaquam præſtare ſuſpicemini? Reuertamini ad cor. Reputate quæ hæc ſint, in quæ incideritis præ ignauia, memineritis eſſe homines, mox cognoſcetis animi oblectamenta eſſe complurima, eaque non modo digniora quam corporis, ſed & longe dulciora, multoque maiora. Quæ animi oblectamina vtinam noſſe perrexiſſent, atque in ea re conſequenda ſtuduiſſent hi Philoſophi (ſic appellari ſe volunt) qui bonum humanum terminant voluptate. Ita enim potuerat voluptas ipſa caruiſſe patronis, ſaltim literatis. Non paruum adiumentum in formandis, & inſtituendis moribus, & continenda vitæ ſobrietate. Nam quæ vlla pernicies hominum generi periculoſior afferre potuit, quam quod in luxu, in mollitie, in quæ ſuapte natura procliue eſt, & paratos habeat hortatores ? Quid hortatores, imo & præceptores, & magiſtros, qui audeant ita philoſophari: *nihil eſſe bonum una dempta voluptate*; & hos eſſe, non quoſcumque, non plebeios, non ut prima fronte videntur abiectos, non leues,

B 2 non

non contemptibiles,ſed eos,qui præ ſe ferant imagines, & habitudinem ſapientum. Quibus etiam parum viſum eſt in vita manentibus, alios à recto deflexiſſe,niſi & extinctis identidem contigiſſet. Itaque ſuorum errorum volumina reliquere. Quæ Deus immortalis volumina? quam indigna, quam nefaria? At nihilo ſecius leguntur, & ingeruntur auditoribus,& inhæreſcunt prorſus in animis. Inde prodiit morum euerſio, temperantiæ neglectus, pudoris exilium,& honeſtatis;vt exemplis heu nimiis in omni genti,in omni ſexu, in omni ætate,ſtatuq; perſpicimus hoc tempore, ſed & priorum temporum plurima ſcripturarum lectione,picturæ, ſtatuarumque proſpectu,relatuque maiorum licet agnoſcere.

Multa exempla Principum, & priuatorum voluptate perditorum, & eorum deteſtatio, & commendatio Fabricij. Cap. IV.

F. Nam vt ordiar ab vltimis temporibus,vltra quæ nulla hiſtoria, quis ille, quo clam ſit libido Semiramidis Aſſyriorum Reginæ,atque alioquin illuſtriſſimæ feminæ? Hæc vt in luxu, quo vteretur, irreprenſibilis eſſet,inter impuros legibus ſanxit,quodcumq; collibuiſſet id licere. Quã perniciosa & quam monſtri ſimilis conſtitutio, allectare criminaque coercere, & vlciſci ſuum ſit. In muliere tamen accuſabile minus, præ ſexus mollitie ſuperari obruiq; deliciis. Quis crederet in viro? At Sardanapalus æque Aſſyriorum Rex, & vt apud Iuſtinum eſt, vir muliere corruptior, vel in buſto iuſſit celtæ imprimi: *Hæc habeo quæ edi,*

edi, quaque exſaturata libido hauſit . Quanta vecordia habere ſe dicit extinctum, quæ ne viuus tenuit, ſed abſumpſit, & hunc effeminare, neruiſque exuere mos gentis, vt eſt omnis fere luxu perdita. In Latio longe fœdius, & exſecrabilius. Nec ideo Neronem, cuius audito nomine crudelitatis horror territat animum, hunc tamen ita ſæuum non puduit impotentem eſſe libidinum, obſcœnitatis. Piget referre, quod Italus a germana non continuiſſe, ac ne a genitrice quidem, vt haud facile diſcernas, luxurioſior fuerit, an immanior. Sed hæc vetuſta, & ab hiſtoricis. Illud nouum quod in oculis; Barnabos Liguriæ Inſubriæque Princeps coacto procerum cœtu cumque his de ſeriis agens, non erubuit ſcorto mammam ſinu eductam manibus contrectare. Pudor ingens principum, & omnis Italici ſanguinis, & Italum, & Principem in eo delectari, quod nepotem quemque magis deceat, quam heroem. Quid principibus ſolis immorer, ac iſta non ſerperent ad priuatos? Societas iuuenum Senenſium, quod gulæ dedita opera ſeruiebat, dicta guloſa, aureos nummos frixit in cremio. Putauit credo ſolidiſſimum metallorum permolleſcere liquato melle carne, quod infudere, ne ſua parum effunderent. Putet quis nil in hac re pericli præter rei minuendæ. Quod etſi ita eſſet ſtolidum, tamen videretur in futurum non conſulere vitæ. Quo vero ſtultius vitam ob voluptates ejicere, quemadmodum accola Patauus Cæſar, quem ipſi vidimus. Hic epulis, vino, ſopori, otio, dum quam ſat eſt amplius indulget, ampliſſimi vinarij vaſis inſtar intumuit. Quem vt viſerent, non ſecus ac ad portentum Pataui exteriq; ſeſe cuneatim proripiebant. Quid multa?

tà?

ta? Non iam homo videbatur,ſed membrorum humanorum monſtroſa congeries. Eo factum eſt, vt vita male habitans maſſam illam præmature deſtitueret. Vnde quadrageſimum annum haud dum exegiſſe putabatur, cùm abdomine venis, & arteriis occluſis, tanquam domo pulſus, ſpiritus abſceſſit. Dignam vero mortis acerbitatem, quæ adegit immoderationem, vt pœnas daret: vnde adeo voraces admonerentur modeſtiæ. Pudore enim detinentur admodum pauci, tantaque multos edulii, plures potionis concitat ingluuies, vt, quod ait Ariſtoteles, inuentus ſit Philoxenus multiuorax, qui, quo dulcedinē hauriret guſtu moroſiore, orauit ſibi collum quam grues habeant oblōgius, meritus ipſa prece grus fieri. Erat profectò, dum ita precaretur, grue deformior. Quid putas? Si rationis tantillum meminiſſet, tam inſenſate popoſciſſet? Quid orauit? quid optabat? Homo cum eſſet, vt bellua videretur. Proh Deus immortalis, quam turpe monſtrum voluptas, quam funeſtum, quam pernicioſum hominum generi, quos miſeros etiam ad eam veſaniam traducit, vt humanam formam cupiant exuere. Hoc admiratione dignior Fabricius cum ob multa tum illud quod egit legatus ad Pyrrhum. Cum enim Cyneas forte inter fabulandum quendam ferret Athenienſem eſſe clarum literis, omnia voluptatis cauſa fieri ſuadentem; hanc vocem Fabricius atque monſtruum quodpiam exhorruit. Præclare id quidem. Si qui enim aſſenſi fuerint Athenienſi quam Fabricio, non video quid bis reliqui fiat, vnde ad virtutem, vnde ad labores, ad ardua quæque contendant, vnde nihi deſidiam, niſi vitia reformidant. Itaque magnifice Pyrrhus

cum ſepe alias tum hoc tempore, & Romanum & hoſtem oblitus Fabricium Græcus laudauit; prætulitque Græculo, quem potius, vti par erat, irriſit, quod ei viro hæc ore exciderent tam demiſſa, tam muliebria. *Quantus vbique virtutis eſt ſplendor: quam latiſsime patet: cuius excellentia ne propter inimicum quidem gloriæ præconio deficitur.* Hac Fabricius Romanus, vt modo diximus, Gręcis iudicio Gręcum anteſtetit. At ille tamē fertur literis clarus, quod de Fabricio negant. Quid tum? *Vita indicat, non literæ, de virtute.* At peritiam literarum virtus amat. Sed non ſic peritus quiſque virtutem. Quod maxime cuperem, eſſet aliter. Sic opinor fieri potuiſſet, vt Philoſophi qui dicuntur nulli forent patroni voluptatis: quos cum paulo ante memoraui, eorum refellere ſententiam cordi erat. Sed neſcio quo pacto dum exempla proſequimur aberrauit oratio. Fuerit autem vſui perſpexiſſe, quam turpes hos efficiat, quibus imperat voluptas. Eo enim proniores erimus, ac conſtantiores ad eam contemnendam, tum & acutiores ad conuincendam omnem ſuorum patronorum perniciosiſſimam doctrinam.

Introductio ſenis longæui, & laus Sobrietatis. *Cap. V.*

F. Cuius principem doctrinæ ſtatuunt Epicurum hominem, quod literis extat, haud indoctum, ſed plane diſcretum, ita vero neruis, ac virili defectum animo, vt vir cùm eſſet effigie, doctrina, & affectu, mulieris animum videatur præſtitiſſe. Cui licet appellato Philoſopho, atque

vt

vt diximus diſerto, priuſquam eius explico præcepta, libuit opponere virum indoctum, indiſertum, ruri vitam inter agreſtes agentem, inter iumenta, cuius ætas ad ſe videndum me allexit. Quo cum veniſſem (eſt autem locus quo ſe recipit Pataui pagus, cui Tribano nomen eſt) vbi hominem ſum intuitus, de more ſalutaui, paruiſq; interrogationibus amicis, vt fit, percontatus mox ad id veni, quod me traxerat. Rogo. Heus pater annorum numerus quotus tibi? Protinus arridens ſenex, ſex ait. Ego illud i fugiens inſtare, ſedulo percontari, poſtulareque obnixius, ne pigeret eum vera profiteri. Tum ridentis habitudinem ad grauitatem vertit. Nil inquit mentior. Sex viuo: centum me Deus donauit, quorum ab exitu quinq; ſupergreſſus annum ſextum linquere cœpi poſt terga. Quod cum audiſſem, admiratus membra ſingula cunctamque corporis effigiem multum luſtraui. Caro (quod percipi poſſit) nulla adeſt, quodque vſurpamus cuiuſpiam maciem exprimentes, quod niſi pellem & oſſa habeat, non in hoc recte, ſed non oſſa dicere poſſis, ita contracta pellis obduruit. Exin perſtiti membrorum valetudinem optimam non tam conſpicere, quam ſtupere. Namque non incuruus eſt, non tremulus, non ſcilicernium, ſed rectus, & validus, & viuax, ſenſu præterea nullo defectus, ita vt & viſu (quem ſenſum prima ſenectus auferre ſolet) acuto, ſit & viuido, & perſpicaci. Hoc vbi animaduerti, percontor qua per omne tempus viguerit corporea ſoſpitate. Raro, inquit, febriui, parumq; abeſt, vt ſim febris prorſus ignarus. Inſtanti ſubinde mihi, quid cogitaret eſſe cauſæ tam perpetuæ bonæ valetudinis, moratus quantiſper: quia, inquit, in epulis aut

huiuſ-

huiuſmodi voluptatibus immoderatior numquam fui: verumque eſſe ex hac ipſa moderatione ſum expertus, quod iuuentuti ſepe denuntio, minus eum eſſe, qui plus quam ſat eſt ſumit edulii quàm qui parcius, quod ille plerumque vitæ ſit breuioris ob epularum pondus indigeſtum, & morbos exinde frequentes, hic productioris ob ſobrietatem. Ita fit vt iſte plus edat, quò longius viuit, quàm ille qui breuius. Nam & illud experimur, quod vulgo ferunt, plures epulis necari, quàm gladio. Quamobrem iuuenes noſtros crebro moneo de frugalitate, meque his oſtento, qui hac vna duce ſeculum impleui, nec cùm ſeculum aliud vitam adhuc habeo in quo damnem ſenectutem. Sicut enim iuuenis feci, ita & ſenex opere ruſtico facundo meum ſumptum exerceo; viginti adhuc paſſuum millia per diem ambulo, cùm libuit. Hæc dicentem ſtupens admirabar. Quid multa? Diem audiendo, & ſciſcitando tranſegi, vixq; inclinata iam luce diuelli me patiebar, tam cupide vetuſta quæ multa memorabat excipiebam. Paucis poſtea diebus ſub ortum Solis pueri nuntiant adeſſe Regem. Id enim ſeni nomen eſt. Dignè id quidem. Regem enim iuſtius hunc appelles, quàm, quem ſupra memini, Sardanapalum, aut alium quemuis Regum huiuſcemodi luxu vt ille perditorum. Regem igitur adeſſe audiens, vt ad monſtrum viſendum propero, ſaluto. Salutauit autem & ipſe prior, & heus inquit, putas nunc vera dixiſſe me paſſuum viginti milia die poſſe obambulare, cùm videas ad primam lucis horam ſuperaſſe paſuum ſex milia? Tantum enim a Montiſilicis Patauino oppido, quo tum diuerteram, aberat Tribani vicus, quem ſupra memoraui. Nihil ego ad hæc,

144

ſed porrecta dextera petitiſque amplexibus iterum ſciſci-tando magnam diei partem abſumpſi. Tandem multa ſenis periucunda oratione vſque refectus fotum obſonio numis donatum, & veſte dimiſi. Cernis quæ oblectatio tunc me affecit, qui nunc ſcribens paucis litteris retuliſſe potui. Nec tamen ob hæc multa ſumus immemores Epicuri, quem vt ſeni conferamus, nonne præſtat Epicuro rudis & indolatus hic ruricola? Quin potius quantum hic attollendus laude & admiratione, tantum ille opprobrio & execratione dejiciendus. Quid enim deformius? Hic ſine literis monet parce viuere, & continenter; ille literatus voluptatibus ſuadet immergi: Iſte rudis corpus exercet, quò ſuperet ignauiam, ille diſertus mollitiem fouet, vnde vis neruorum hebetatur. Itaque hic vir & vt eſt imbecillitas humana ſeipſo fortior; ille mulier, imo & ipſis etiam mulierculis fragilior. Deniq; virtuti magnum ex hoc claritatis, & famæ præconium, ex illo teterima obſcœnitatis, & tenebrarum contumelia. Ne vero maledictis cum Epicuro decertaſſe, non autem rationibus ſuperaſſe videamur, eius de Felicitate præcepta protinus explicabimus. Si tamen illud præmonuerimus, in hac pernicioſa præceptione non ſolum Epicurum fuiſſe, ſed & huius æmulum ſucceſſiſſe Hieronymum quendā Rhodium, inde Metrodorum, ac Zenonem, multos poſtea, vt eſt ſemper ad voluptates natura procliuior. Sed ne Epicurus quidem omnium primus. Præceſſit enim Ariſtippus. At neſcio quo ſidere obtigit Epicuro principatus: vnde & Epicurei, quod forte grandiora fuerint, in hos Epicuri volumina, aut quod veraciſſime dici poteſt maior inſania

Expli-

Explicatur Doctrina Epicuri, & eius Improbatio, & multiplex deteſtatio Voluptuoſorum. Cap. VI.

F. Sed iam te ipſum Epicurum audiamus: in eo nempe Libro, qui continet omnem doctrinam tuam dicis hæc: Nec quidem habeo quod intelligam bonũ detrahens eas voluptates, quæ ſapore percipiuntur, detrahens eas quæ auditu, & cantibus, detrahens etiam eas, quæ ex formis percipiuntur, oculis ſuaues motiones, ſiue quæ aliæ voluptates in toto homine gignuntur quolibet ſenſu, Nec vero ita dici poteſt mentis lætitiam ſolam eſſe in bonis Lætantem enim mentem ita noui ſpe eorum omnium, quæ ſupra dixi, fore vt his potiens dolore careat. Hæc Epicuri, ſic Cicero retulit: inter quæ de Virtute nulla memoratio. Num igitur Epicure virtutem ignoraſti bonum eſſe? Non ignoraſti, ſed quod eſt indignius negaſti, ſi credimus Senecæ, cuius de te illa ſunt. Epicurus iudicat, qui virtutem habeat, beatum eſſe, ſed ipſam virtutem non ſatis eſſe ad beatam vitam, quod beatum efficiat voluptas, quæ ex virtute eſt non ipſa virtus. Sic Seneca. Et hæc ipſa, tum & ſuperiora quæ retuli ſint Epicuri. Anne fidem apud autores linquo. Nam etſi extent aliquorum volumina voluptatẽ, quemadmodum ante diximus, perſuadentia. Epicurei tamen libri nulli ad nos peruenere. Non parua felicitas ætati noſtræ, ſic luxu quolibet eſtuanti, vt nullum noſtrum ſalutis ſpei reliquum futurum ſit, ſi noſtris voluptatibus hortator accederet, ſi & adiutor & fautor. At his, quæ dixi, poſitis libet Epicurum rogare. Dic Epicure? Si in ſenſu voluptas, vt

ipſe per ſuperiora in vtroque aſſeris, quo ſenſu percipitur voluptas ex virtute? Viſune, vel aliquo alio? Nonne virtus habitus eſt animæ rationalis? Animam vero iſtam num quis ſenſuum eſt, qui concipere intra ſe poſſit? Cùm itaque dixiſſes, te non intelligere bonum, niſi voluptatem, quæ ſenſu aliquo gignatur; cur deinde virtutis aſtruis eſſe voluptatem? eamque bonum cur appellas? Si enim aliud non affertur, tute ipſe tecum pugnas, tuiſque palam aduerſantur: niſi forte rationalem animam ſenſualem cenſeas: quod ipſum ſupra repudiauimus, ſecretamque a ſenſu poſuimus, tanquam quæ, vt ante diximus, cœleſtis quidam ſpiritus perhibetur a ſapientibus. Si ergo virtutis voluptas eſt, vt ipſe fatere, relinquitur aliquam eſſe voluptatem ſinè ſenſu, quando in nullo ſenſuum, nec in omnibus ſenſibus, eſſe virtus poſſit. Eſt itaque non tantum in corporis, ſed & in animi iucunditate voluptas, eaque verior, & conſtantior, & certior. Cur non audemus loqui, vt viros decet? Imo nulla in homine, quę ſit hominis propria, non etiã belluarum, voluptas eſt, ſi ſenſu tantum gignitur, nec cenſura probata ſit animi rectè iudicantis. Cur ita? Quia bonum hominis id vnicum iudicandum, quod habenti præſidio ſemper ſit, damno autem penitus numquam. Voluptates vero ſecundũ ſenſum quibus quæſo continuo proſunt, aut quibus non ſæpe potius afficiunt? Cum & extinctos legamus affici cruciatibus, ob eas, quæ viuentibus dominatæ ſunt, corporeas voluptates. Vnde illa ſunt:

Quin & ſupremo cùm lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris nec funditus omnes
Corporea excedunt peſtes, penituſque neceſſe eſt.

Mul-

Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Quiſque ſuos patimur manes.

Et quæ ſequuntur. Notum carmen. O clariſſimum vatem. Eleganter vt multa, proprie, vt omnia, monſtraſti voluptates corporeas non tantum bona eſſe, ſed etiam peſtes eſſe teterrimas. Ficta hæc dicet Epicurus, negabitque Poetica Philoſophum profeſſus. At obuium qua ratione ſufferet Ariſtotelem. Is enim temperati cenſet, fugere delectationes, quas voluptates corporeas appellaui. Iamq; tibi & mihi, & omnibus Catholicis exiſtimo non obſcurum, voluptatem corpoream nõ modò bonum non eſſe, ſed etiam malum eſſe pernicioſum hominibus, odioſum Deo. Nam qui fieri poteſt vt in hac re dubitemus audientes quod in Michea Dominus ait: *Ambulaſti in voluptatibus, vt darem te in perditionem.* Non comminatur diei pœnam, non hebdomadæ, non menſium, non annorum. Sed quam perditionem? Eſt autem æterna hæc, vt in Euangelio Saluator aperuit. Diſcipulorum enim dixit periiſſe neminem, niſi filium perditionis. Periit aut ſolus Iudas, & idem æterna damnatione multatus eſt, cuius Epiſcopatum (ſic Pſalmographus prædixerat) alter accepit. Cum ergo fugere voluptates exemplis inſtruamur, conuincamur rationibus, moneamur a Poetis, a Philoſophis doceamur, iubeamur a fide, hærebimus, ac dubitabimus fateri nullam voluptatis eſſe felicitatem? Mitto leges Canonicas, prætereo

Ciui-

Ciuiles, quibus aliud inſitum nil videtur, quā prauas hominum coercere voluptates. Itaque legislatori nihil odibilius. Sed quid in hoc opus eſt legibus? Erudimur enim ipſa natura, ſoloque rationis inſtinctu. Nam quis ita vecors aut ita inſolens, quem ſuarum non pudeat libidinum, aut quem non pigeat, ſi a quoquam in eis fuerit deprehenſus? Quid ita? Quia veretur dedecus, veretur exſecrationem, veretur infamiam. Etenim voluptarium quemque videmus a fortiſſimo quolibet ſperni, abjici, indignum duci, quorum ſocietas habeatur, aut familiariter viuatur aut amicitia ſanciatur. Nec id quidem iniuria, Nam cùm in difficultate ſita ſit virtus, voluptas in mollicie: ſicuti quos viderimus difficilia & ardua ſuperare laudibus in cœlum ferimus: ita quos molli timiditate victos aſpicimus hoc horreſcere, ac fugere, hos è contrario ſpernimus habemuſque contemtui. Quiſquis itaque gratiam expetis, & laudes, quiſquis vilis haberi reformidas, voluptatem fugias neceſſe eſt: ſine qua quodque egregium ſperare, cum qua magnum nihil audere poſſis. Omnis nempe virtutis omnis egregii facinoris, omnis præclaræ molitionis volúptas corporea nouerca eſt. Egregiè Flaccus:

Qui cupit optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, ſudauit, & alſit,
Aſtinuit Venere, & Baccho.

Hæc Flaccus præcepto, alibi exemplo monet idem Vlyſſe propoſito:

Qui domitor Troiæ, multorum prouidus vrbes,
Et mores hominum inſpexit, latumque per æquor
Dum ſibi, dum ſociis reditum parat, aſpera multa

Per-

Pertulit, aduerſis rerum immerſabilis undis,
Sirenum cantus & Circes pocula noſti:
Quæ ſi cum ſociis ſtultus cupiduſque bibiſſet,
Sub domina meretrice fuiſſet turpis, & excors
Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.

Non tibi videtur ante oculos ſtatuiſſe faciem virtutis, & voluptatis, illius pulcram, huius obſcœnam? Nam quid aliud in Vlyſſe niſi virtus, quid in ſociis niſi voluptas exprimitur? Ille autem prouidus inducitur, & paſſus aſpera; hi turpes & ſerui voluptatum, nec tantum turpes ſed iumenta, non quæcumque, ſed canes, & ſues, quia cæteris brutis hæc ſunt impotentiora. Canes libidinis, ciborum ſues & immundi otii. Sunt hæc quæ in voluptuoſos diximus nimis multa his, quibus odioſum ſit dedecus, & qui ſe viros eſſe meminerunt. Quo in numero non videtur Epicurus fuiſſe. Quem omiſimus ex vna in aliam traducti ſententiam: ad ipſum vero continuo reuertemur, vt ſi quo pacto fieri poterit adducamus in rectam, ſi tamen prius explicuerimus, quod de illa reſtat, quam ſæpe appello corpoream voluptatem.

De eadem re, & nonnulla de Medicis: Laus ſobrietatis. Cap. VII.

F. Hæc quidem enim voluptas ſi ſe aſſecutos beatos efficeret, eo profecto beatiores eſſent, quo illa plenior, quo profuſior. At experimento ſine libris, ſine Philoſophis, ſine literis didicimus, non innocuam eſse, ſi ſit plurima. Quid enim ſuperfluitas epularum? quam inutilis, quam

quam praua, quam noxia, nemo non cognoſcit, omnes experimur; ut medicina non vetaret. In quibus epulis ſi moderati, ſi non vltra quàm refectio poſtularet, affecti eſſemus, pharmacis opus non haberemus tot ſaltem, nec tot medicis nec totiens non imprudentes morti non offerremus, quæ ſe ipſa ſatis impendet. cui ſiquidem morti nos exponimus, quotiens haurimus antidota, quæ medicinas appellant, cum quibus heu quot iam ſepulti, qui vixiſſent. Eſt tamen nihil ex ea re quod ſuccenſeam Hippocrati, aut Galeno, vel Auicennæ cæteriſque Medicinæ artis præceptoribus, quod in ordinandis huiuſmodi poculis non raro mortiferis volumina multa referſerunt. Nam & ipſi ſalubrius aſſerunt curari per inediam. Summam illam quidem Medicinam, & quæ morbos impendentes auertat, extinguat, & plerumq; iam natos & confirmatos nonnunquam ſola dimoueat. Quid igitur inquies opus eſt aliis adiumentis? Quid? Quia pauci ſunt admodum, qui niſi & morbis obſeſſi ſufferant vſum inediæ, quam diætam appellant. Quamobrē ad ſummum repleti in morbos incidunt, idq; frequenter, & ad hos pellendos accerſuntur Phyſici, qui ſcrupulis aut drachmis potiones dimenſas adminiſtrant. Harum autem potionum nonnullas letales videmus, aut quod confectæ de ſuccis herbarum aliarum quàm præciperent ipſi phyſici, aut quod ex earum ſed iniquo natarum loco, aut quod maioris fuere proportionis quam ægroti natura ſufferret, aut ob aliam quamque cauſam; ut omittamus de multorum imperitia phyſicorum, quorum error eo crebrior, quo impunior. Terra enim tegitur, vt aiunt. vbi prætereundum non videtur, quod plurimis referenti-

bus

bus accepi de phyſico fortaſſe magis ornato veſte quàm ſcientia, qui cùm potionem ægroto porrexiſſet ad tertiamque rediret, inſpecturus quid adiumenti ad ſoſpitatem attuliſſet, cernens apparari funus, profecto ait aliquantulũ fuit illa medicina fortiuſcula, vt ne publice veritus ille fuerit profiteri ſuum erratum. Quid enim ſonat aliud fortiuſcula niſi non conueniens, niſi non moderata, niſi non proportionata capienti? Tam graue, tam paratum, tam latepatens exitium moderatus facile propulſabit, quia diuturna ſui notitia ſeſe ſuamque naturam, ac vim perſpectam habet, quid ſibi appoſitum, quid obuium ſit ignorat. Ita phyſicorũ ab ope ſalus eius non dependet. Qua in re facio de me coniecturam. Fuit equidem tempus, quo ut grauedine quauis vrgebar illico curabam admouere mihi ſuffragia Phyſicorum. His in eam laſſitudinem declinaui, vt qua robuſtior ætate fuiſſe debueram, ea fuerim minime ſecundæ valetudinis. Inde mutata ſententia relictiſque antidotis conſilium naturæ ſecutus, in eo præcipue ne reficerer non eſuriens, ſanus vixi, ſed & fortis, & viuax. Hinc conjicio fere nullis niſi voluptariis neceſſitati fori medicinam: ſicuti perraro leges, vis Canonicas, vis Ciuiles, niſi ad improbos coërcendos. Hinc Flaccus ait: *iura inuenta metu iniuſti*, tametſi de medicina certent phyſici. Muniunt iſti ſe cum Eccleſiaſtico, qui ait ab omnium opifice medicinam creatam ob neceſſitatem. Creatam fateor, vt cætera quæque ab Creatore cunctorum. Neceſſitatem ſi accipis ſimpliciter, non fateor, ſed vt prædiximus in voluptariis, in reliquis non aſſentior. Si qui illi ſint qui non abjiciant frugalitatem, qui omni eſt medicina præſtantior, hac fami-

ſiti, nuditati, hac ſomno, quieti, hac cuique ſecundum naturam neceſſitati prouidetur, & id omne cum modeſtia, non ut voluntati morem geramus, ſed vt ſuccurramus indigentiæ. Si quis autem eſt huiuſmodi, quæro qua vi morbis licebit hunc euertere, cui cum humoribus bene conuenit, cuius vita ſemper eodem tenore eſt, cuius membra membris obtemperant, idem mane, idem interdiu, idem veſpere, medius fidius aut ægrotabit hic nunquam, aut certe mox curabitur. At dicis enim ſi nunquam ægrotabit, ergo immortalis, quod Dei proprium eſſe quis ambigit. Quiſquis ita dixerit, vrget ſane inepte. Reſoluetur enim hic, quem dico non ægrotaturum, cùm abſumptum erit humidum quod radicale dicunt: id autem non eſt egrotare, ſed vita eſſe perfunctum. Stat igitur ſententia: voluptatē dempta fere ſuperuacaneam eſſe medicinam. Quid quod eſt apud Iſidorum, quod & fertur in primis in Æſculapio defeciſſe medicinam, latuiſſeque per annos ferme quingintos uſque ad Hippocratem. Tunc ne mundum & illos homines Deus ignorauit aut neglexit, aut tam graui odio proſequebatur, vt tanto tam neceſſario bono tam diu carere pateretur? Qua ratione permoti complurimi negant quod ait Iſidorus, nullaque id probata hiſtoria poſſe conuinci. Et his ut non prorſus reſiſtamus, æquius videtur illud opinari: tunc apud Græcos, vbi reliqua ſtudia vigebant illud ſtudium minime floruiſſe, fuiſſe tamen multos qui exercebantur in ea re, quorũ libri cùm nonnulli conſpicerentur, proditum inde memoriæ eſt, tunc defeciſſe medicinam; vel ea ætate fuiſſe homines moderatiores, quibus ut ego ſentio fere nunquam, vt autem multi aſſerunt non

fre-

frequenter neceſſaria eſt medicina. Sed quid ego in hac diſputatione tempus tero, cùm ſufficiat id perſpicuum eſſe quod intendimus, omnium morborum aut certe plurimorum cauſam eſſe voluptates, illas dico quæ verſantur in epulis: fœdas enim illas quæ in libidine pudet memorare. Tamen, & illæ ſi crebræ ſint, vti teſtatur Auicenna, corpus perducunt ad infrigidationem cum reſolutione caliditatis innatæ, & mortificatione virtutis. Addit alia peiora, quæ quod fœdiora taceo, materiamq; turpem veluti ſcopulum nautæ libens prætereo. Reliquas & prætereuehor ſingulas in ſingulis voluptates. Earum enim etſi diuerſa ratio videatur, vna tamen eſt natura, vt continuatæ, cumulatæ, adauctæ faſtidiant. Præclare Iuuenalis: *voluptates commendat rarior vſus.* Quo fit, vt ſi qua earum delectatio eſt in deſiderio ſit, non in ſatietate. Qua igitur ratione beatum efficere poterit voluptas, in qua verſari nequeas ſine anxietate, nequeas ſine timore, nequeas ſine graui periculo nocumēti? Sic itaque quo modo quæ timemus, quæ fugimus, quæ èxſecramur, hæc ſentimus & dicimus eſſe mala: ſic voluptatem, non eſt vt dubitemus an ſint bonum, ſed aperte teſtabimur eſſe malum, cùm inſpexerimus diligenter quas in pœnas nos præcipitare voluptas poſſit, ut in podagram, in iliacam, in colicam, in mortem denique immaturam, & fœdam. Ita ergo non optandam eſſe voluptatem: non optandam, imo euitandam, fugiendam, abjiciendam, veluti monſtrum quoddam, & horrendum, & turpe peſtiſque genus pernicioſiſſimum. Eleganter Flaccus:

Sperne voluptates nocet empta dolore voluptas.

149

Reducitur Epicurus ad concordiam cum aliis Philoſophis. *Cap. VIII.*

F. An Epicure, quem conueniendi tempus admonet his aſsentiris tot exemplis, tot rationibus, tot auctoritatibus? An nihiloſecius inhæreſcis voluptatibus, & illis corporeis, ut cum ab vno corporeo bono diſceſseris, nihil extra boni relinquatur, niſi vano cognomine, ſoloque inani ſonitu verborum? Durum & abſonum id æſtimare de Philoſopho, de te præcipue, qui virtutem, paupertatē, fugalitatē, modeſtiam exigis a ſapiente. Cùm hæc dicebas, an exciderat illa tua tam pertinax opinio, nihil eſſe bonum niſi voluptatem ſenſu aliquo genitam? Non potius ea, quæ modo dixi, virtutem, paupertatem, & quæ ſequuntur putaſti corporea bona? vel non bona, vel quid quæſo? Prorſus enim videntur hæc inuicem non conſtare. Nam corporea ſi cenſueris, vide quo ruis, vt & iumentis fateare hæc communia. Quod quale ſit, quis tam cœcus, ut non videat? Si non bona ſunt, quid ea ſuades? Quid deſideras in ſapiente? Hæc tamen leuiora. Grauius illud, quod & tuum eſt, in tormentis ſapientem non deſtitui voluptate, beatamque vitam vel in Phalaridis taurum poſſe deſcendere. Tum enim præteritarū delectationum recordatione parui ducere, quod affligitur? Viſne dilectationem ſenſualem gigni ſenſu ſine ſenſu? Minime? Quid ergo? Non vehementius vrgetur ſenſus hoc quod adeſt doloris, quam mulcetur eo, quod abeſt, recordanda præterita delectatione? Sicuti certius intuemur, quæ nunc ſubjiciuntur luminibus

nibus, quam quæ olim. Si dixiſſes ſapientem rationis imperio poſſe beatam habere vitam atque gaudere mente, dum torquetur in corpore, non abnuerē, ſed contra ſermonem illum dignum dicerem Philoſopho. Cùm autem id eſſet alterius virtutis, quam membrorum, quam corporis, tua illa non ſtarent, beatitudinem nullam eſſe niſi in ſenſuali voluptate. Quamobrem apud Philoſophos præcipue Ciceronem legimus te aut pugnantia loquutum, aut acumine defecta, & prorſus rudia. Qua calumnia (ſic ſupra polliciti ſumus) te optamus abſoluere. Videtur itaque conſeruari poſſe quod aſſeris, omnem delectationem ſenſibus claudi; ſiquidem illi communi Philoſophorum pronuntiato non diſsentimus, nihil in intellectu eſſe, quod non prius fuerit in ſenſu. Nullam profecto notitiam, ſicuti Philoſophi (Platonicos excipio) ſicuti etiam Catholicis præceptoribus viſum eſt, habet anima rationalis, cùm in humano corpore creatur ab omnium opifice. Fit autem cognoſcens inſpiciendo ſenſatas imagines: non ideo, quia ſenſibile quicquam intra ſe ſuſcipiat, eſt enim indiuiſa, ſed dum phantaſmata ſenſualia, quæ imagines appellaui, contemplatur, & aſpicit, format in ſe ipſa ſimiles imagines; hiſque ſuffragantibus elicitur intellectio. Sic itaque notionem omnem intellectiuam præcedit aliqua ſenſatio: qua ſenſatione ſublata nihil eſt quod intelligamus, ita & nihil, quo triſtemur, nihil etiam quo gaudeamus: nihil ergo quo feliciores ſimus, & ita ſenſus ope gignitur felicitas. Hoc ordine ſi ſentis Epicure, cùm affirmas in corporea voluptate conſiſtere felicitatem, parum vrgent quæ tibi obiecimus. Sin aliter, noſtra nil attinet,

modo

modo verum eliciamus, certoq; perſpiciamus, quænam ſit humana felicitas, de qua ſatis abunde ſuperioribus oſtenſum arbitror, eos errare qui hanc ſtatuunt in corporea voluptate. Nam alios pleroſque ſentientes, quod in voluptate non corporis ſed mentis, non ſenſuum ſed intellectus, conſtituta ſit, & ita Epicurum exiſtimaſſe, ſuperiora vt nunc diximus parum vrgent. Et hæc quidem poſitio latius manat: quoniam & illam veram beatitudinem, de qua tertio volumine diſſerimus, quidam in voluptate ſtatuunt, ideſt delectatione, fruitione, gaudio, ſeu amore, & inhęrentia humanæ animæ cum vltimo fine, nonnulli vero in ſpeculatione. Sed hæc ſuo loco. Nunc enim poſteaquam de tribus, quæ ſpopondimus, vno leuati videmur, ad aliud properamus. Fuerat autem primum, vt oſtenderetur, Felicitatem affectanti multopere fugiendam voluptatem. Quo ſolutos onere nos æſtimamus, niſi quid vltra deſideres. D. Deſiderem quid? Tantum vero abeſt quid deſiderem, quod dudum orare te volui feſtinares ad alia, ſic nauſeabam, cùm luminibus objiciebas fœditates voluptatum; ſed ſilui, ne ſi qui nimium illis immerſi eſſent, ob eamque cauſam ampliore monitione indigerent, his officeret breuitas orationis. Illi tamen iam tot exemplis, rationibus, auctoritatibus victi adeo eſſe debent, vt opiner eos nobiſcum exſecrari voluptates, cùm animum aduerterint & ſecum cogitauerint, quanta in earum exſecratione ſit vtilitas, quando immineat tam grauis in aſſecutione pernicies. Hac de re te oro atque appello, vti Felicitatem non veram prorſus, quę tamen inſtar veræ eſt, ſtudeas explicare. Fuit enim hoc ſecundum quod obtuliſti te diſputaturum: ad quod etiam

te properare nunc dicebas. F. Faciam ſedulo. Sed hæc magna, & implexa res. Quo igitur commodius diſſeramus, in ſequens volumem differendum cenſeo: ſimul & huic finem præſcribendum. Illud poſtremo item atque item tibi & mihi & omnibus ſuadeo, ut nullos hoſtes magis timendos, aut odio dignos maiore cenſeamus, quam peſtes fœdiſſimas atque pernicioſiſſimas voluptatum.

FRAN-

FRANCISCI ZABARELLÆ DE FELICITATE LIBER SECVNDVS.

Proœmium. Cap. I.

HVMANAM animam diſpoſitionem corporis imitari perhibetur a phyſicis. Quod ſi nulla re alia conſtaret, hac una facile conuincerentur, quoniam ſicuti corporũ ſenſationes variantur, ita pariter, & haud ſcio an etiam magis, mentium affectus. Quemadmodum enim quod pulcrum viſu plærique iudicant, alios videas qui fœdum: ſic quod bonum plurimi, quoſdam videre licet, qui non bonum ſed malum, prout in diuerſa cuiuſque rapitur deſiderium. Hoc euenit, vt haud ab re permoti ſint illi Academici, qui feruntur cenſuiſſe nihil ſecluſa temeritate poſſe aſſeri, quod nulla ſit res tam probata, tam experta, tam certa, in qua non interdum aliter vni, aliter alteri videatur. De plurium hominum diuerſitate loquor. Non & vnius eiuſdem aliam nunc, aliam poſtridie videmus ſententiam? Nam & pleraque accidunt, quibus freti quod antea placuerat repudiamus. Sic ſenex apud Terentium: *Nunc tempus eſt, mihi vt cupiam filiam: olim nihil minus.* Et alius æquè ſenex apud eundem: *Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, vſus, ſemper aliquid apportet noui, aliquid moneat, vt illa quæ te ſciſſe credas neſcias, & quæ tibi putaris*

prima

prima in experiundo repudies. Sed hi non ſine cauſa propoſito decedebant: quot vero illi qui nulla ducti ratione? Cuius rei plerumque cauſam affert viuendi ratio non recta, dum ſtudetur ad ea quæ non attinent, & ſæpe non licent, vt de ſecreto Dei iudicio per ſortes aut aſtrorum inueſtigationem ſcrutando ad vtilia non ſtudetur. O inanes hominum curas: ô fragile & nunquam conſtans iudicium, ô nimiam cæcitatem, ô late patentem inſcitiam, ô temeritatem inæſtimabilem. Hæc exigua quæ ſpectent ad nos præcipere ſufficienter non poſſe, & velle de occultis diuini iudicii perſcrutari, curare ſortibus vetitis quod ſacrilegum, aut per aſtrorum iudicia quod curioſum eſt, futura prædicere, cùm in terra leuia quædam quę ante pedes ſint non videas. Periucunde, nec minus iuſte, mulier illa quæ fertur Aſtrologum luſiſſe, cui ſideribus inſpiciendis intento ita, vt quo pedes obfirmaret non aduerteret, cùm ruiſſit in proximam foueam, dixiſſe mulier dicitur: *O fatuum, qui curet aſtra diſpicere, atque vbi figat pedes non videat*. In tanta igitur curioſitate vacandi rebus inutilibus, atque incuria non vacandi vtilibus; in tanta etiam varietate deſideriorum humanorum, quantam vt prædiximus corporum diuerſitas gignit, minime mirandum, ſi varia ſunt humana iudicia, ſi non recte diſcernunt quæ vtilia, quæ honeſta, præcipue cùm linguarum, cùm gentium, cùm regionum, nec ſermo, nec mores, nec viuendi ritus conueniant. Quare non diſſonum, ſi de Felicitate diuerſæ ſententiæ, ſi ſectæ variæ, quas partim explicauimus, partem explicaturi ſumus, prodiere. *Nam ſua cuique Deus fit dira cupido*, vt ait Virgilius: & ita ſuam felicitatem quiſq; metitur ſua cupiditate,

E mal-

mallem ut ratione ſuam quiſque cupidinem cohiberet. Si enim fieri poſſet, vt omnium foret vna ſententia de Felicitate; ſtatuentibus eam omnibus non in cupiditate propria, non in re quaque alia caduca, ſed in Deo, qui ſolus poteſt humanum affectum ſedare, ſolus homini tribuere felicitatem. Sed iam ad inſtituta pergamus.

Dialogus introducens materiam Libri Secundi: & de variis opinionibus circa Felicitatem. Cap. II.

F. Dic. Quid eſt quod velis a me diſputari? D. Superiori Libro ſatis explicui. Nam & ipſe dixiſti. De illa Felicitate nunc agendum, quę etſi non eſt omnino vera, tamen inſtar veræ eſt. F. Sic memineram. Sed illas quas nunc memoraui ſectas de Felicitate vario modo ſentientes volumus antea recenſere? D. Ad quid illas? F. Quia non commode alioquin poſſit quod exquirimus explicari. D. Quid hoc? F. Quia niſi malum opponas, boni perdifficilis eſt cognitio. Proinde quid bonum ſit conſentaneum eſt, aut vix, aut nullatenus eos intelligere, qui nulla ſint aduerſa perpeſſi. D. Si ergo nihil eſſet mali, boni etiam foret prorſus nihil. Id verò quam abſonum, vt bonum pendeat ex malo. F. Non recte accipis. Poteſt quippe ſine malo eſſe bonum, & æque malum ſine bono, verum alterius notitia maxime fit ex alterius. D. Non video cur & dignoſci ſeorſum non poſſint. Sicut enim ſe habet res ad eſſe, ſic & ad cognoſci. F. Si quidem nihilo præpediare, quo ſegnius agnoſcas. At vt infirma hominum eſt agnitio, vix aut nunquam dignoſcimus bona rudes & inexperti malorum.

D. Mi-

D. Miſeri ergo ſimus oportet, ut felicitatem aſſequamur? Quod ſi eſt, quid infelicius felicitate, cuius initia ſint onerata miſeriis? F. Miſerum vocas mala perpeti, vel cognoſcere. Non ita eſt. Non legiſti, non eſſe malum ſcire malum, ſed operari? D. Quid tum? Neque enim ob hoc illud elucet, quod propoſuiſti, bonum niſi ex malo non facile cognoſci. Sic namque dicam, neque malum niſi ex bono, fitque, quod aiunt, labyrinthus inextricabilis. F. Nihil eſt periculi, quoniam totiens hac illac iactamur, vt nemo vnus ſit, qui non multa mala, nemo qui non aliqua lęta ſit expertus. Nemo itaque, cui non pronum ſit ex bono malum, & bonum ex malo cognoſcere. D. Diffiteri hoc non poſſum, nec pertinacia vnquam placuit: quare ſi tibi vtile videtur, perge ad explicandas ſectas illas, quas ob id tantum audire fugiebam, ne officerent propoſitis, quo tardius abſoluerentur. F. Quia plurimum iuuabunt. Nam coactis variis ſententiis, ſicut album inter fuſca, ſic bonum inter non mala, clarius intuebimur. Illas igitur ſectas tres eſſe dixit Ariſtoteles, quas vitas appellat maxime præcellentes, voluptuoſam, ciuilem, contemplatiuam. Varro minutim ſentiens, & cum eo Auguſtinus in de Ciuitate Dei libris, poſuere ducentas octo, & ſeptuaginta. Quorũ tam late fuſum numerum relinquamus, præſertim hoc tempore, quo ſermo nobis inſtitutus eſt, non quo doctiores, ſed meliores efficiamur, cùm videatur vix carere poſſe redargutione, dum rudes inſtituendos aſſumpſeris, eos ita dictorum numeroſitate vexare, vt præ multitudine mens oppreſſa, quia non poſſit omnia meminiſſe, ſingula quoque deſpiciat, & negligat. Superiorem etiam illam Ariſtotelis di-

uiſionem tametſi multi recipiant, ſequi non poſſumus. Vo- luptarios enim quod rationi non obtemperent, ſuperius ſegregauimus ab hominibus. Quamobrem voluptuoſam vitam nobis non licet humanam dicere. Semota igitur illa, duplicem dicimus: ſic & ſupra poſuimus hominum vitam, alteram beatam non prorſus, qua de agimus: alteram perfectè, de qua poſterius. Prima terreſtris, cœleſtis altera. De qua terreſtri ſi quibus in rebus cōſiſteret inter homines cōueniret, labor eis plurimus ſubduceretur. Quo labore nimium fatigantur ob incertitudinem, plurimis eam ſtatuentibus in diuitiarum aſſecutione, nonnullis in potentia, quibuſdam in honore, fama, & gloria: paucis in ſpeculatione, paucioribus in virtute, vel in ea quæ ſecundum virtutem eſt operatione: aliis etiam cenſentibus aliter atque aliter, quos prætereo, quia neceſſe non eſt ſingula perſequi fragmenta. Nam ſententiis, quas nunc memoraui, diligenter explicatis, noſtra quoque ſubiecta, facile liquebit, quid exiſtimemus de hac re tota ſentiendum. An igitur diuitiarum opulentia felicitatem præſtet antea videamus: poſteà de reliquis ordine, quo retulimus.

Quod in diuitiis non ſit Felicitas, & multa pericula diuitibus imminere. Cap. III.

F. Plurimi Felicitatem in diuitiis exiſtimant, quod cum his quæ volumus facile, ſine ipſis difficulter aut nulla ratione poſſis adipiſci. Vis eſſe magnificus? Opibus aſſequere, ſine quibus magna fruſtra tentantur. Cupis de liberalitate præconium? Quid opportunum niſi ut largus

opum hominem ſplendidum agas in ſumptu? Poſſem ſingula perſequi, niſi a Salomone ſcriptum eſſet, omnia obedire pecuniæ. Quod ipſum pluribus verbis eleganter Flaccus.

O Ciues, Ciues, quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt numos.

Et rurſus alio loco planius:

Omnis enim res,
Virtus, fama, decus diuina humanaq; pulcris
Diuitiis parent, quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens, etiam & rex,
Et quicquid volet.

Et iterum loco alio breuius:

Et genus & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt.

Quid ergo bonum, ſi diuitiæ bonum non ſunt: quibus omnia conficere, ſine quibus etiam ſperare nihil poſſis? Deus æterne, quam hæc leuia, quam puerilia: quid quærimus? Nonne felicitatem hominis? Nullo autem modo quod ab homine alienum eſt, eius poteſt eſſe felicitas. Alienum tibi hoc videtur? Sic inquam, vt nihil magis. Sublato funditus humano genere nulli credo agri forent, nulli theſauri, nullæ gemmæ, nulla metalla; nihilominus tamen diuitias bonum aiunt, quod per eas optatorum compotes fiamus. An ſi quis aliqua circumſeſſus mentis ægritudine, mortem conſcire ſibi cupiat, telum oblatum, quo id efficiat, bonum dicitis? At enim hic quia mentis inops errabundus optat: quaſi vero ſani mente nil exoptemus, quod aſſecuti mereamus. Nimio deſiderio Florentini caſum expetebant Barnabouis Ligurum Principis, quoniam maxime potentiam eius metuebant, mox, vt accidit, non minus

quam

quam ſi quid obtigiſſet aduerſi, doluere. Surrogatus eſt enim Iohannes Galleatius: quem uti Bernaboue potentiorem amplius priore infenſum habent, ſic & Henricum Imperatorem Septimum multi Principes Itali e Germanicis oris in Latium accerſiuere, qui primi pœnas immodeſti deſiderii cõtinuo dederint, nonnullis eorum opibus, aliis principatu, cõpluribus, etiã vita Henrici iuſſu, aut certe nutu ſeu diſſimulatione mulctatis. Recte itaque Socrates cenſuit, nihil à Diis expetendum, niſi ut bona tribuerent. Sed ut inſiſtamus inceptis, dic quicumq; es affectus ad diuitias, quid bello periculoſius, quid exſecrabilius, quid funeſtius? Nulla vero eſt bellorum materies & quaſi ſeges, niſi rerum copia, niſi diuitiæ. vnde & apud Platonem eſt: omnia prælia ob pecuniarum poſſeſſionem fieri hominibus. Quod indignatus & ægre ferens Lucanus exclamat:

Sed pars viliſsima rerum
Certamen mouiſtis opes.

Et alibi apertius:

Perdita tunc urbi nocuerunt ſecula, poſtquam
Ambitus, & luxus, & opum metuenda facultas
Tranſuerſo mentem dubiam torrente tulerunt.

Quid aliud impulit regem illum ut fœdifragus Polydorum necaret inſontem.

Hunc Polidorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Treicio regi, cùm iam diffideret armis
Dardaniæ, cingique vrbem obſidione videret.
Ille, ut opes fractæ Teucrum & fortuna receſsit,
Res Agamemnonias victriciaque arma ſecutus,

Fas

Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur.

Carmen noſti. Sed ſpecta quod ſequitur:

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Vide quam efficaciter nos admonet illuſtris Poeta, ut auro non inhiemus. Nec iniuria. Nibil enim turpe, nefariumque, obſcœnum eſt, in quod æris ardor non impellat. Itaq; Sichæum Didonis virum germanus Didonis Pigmaleonque interemit, vt Sichæi auro poteretur. De quo Poeta:

Huic (Didoni ſcilicet) *coniux*
Sichæus erat ditiſsimus agri Phœnicum.

Et paucis interiectis:

Sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, ſcelere ante alios immanior omnes.
Quos inter medius venit furor: ille Sichæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore,
Clam ferro incautum ſuperat.

Quando peperciſſet hic peregrino? quando abſtinuiſſet ab ignoto? quando hoſpiti fidem ſeruaſſet, qui ciuem, qui amicum, qui affinitate proximum trucidauit? Sed hæc externa, & peruetuſta. Ad noſtra igitur, & ea recentia veniamus. Petrus infimæ ſortis ac ingentis nequitiæ craterem argenteum Iohanni argentario cùm oſtendiſſet, viſne inquit vaſa huius non pauca empta parare leui precio? Ille vt feruet cupiditas, volo ait: cumque quantum numi in ſingulas vncias daretur conueniſſent, & id ex argentarii ſententia: tum ad eum Petrus, affer ad domum, quam habi-
to,

to, numos, quoniam ibi paratum argentum. Attulit itaque aureos ſolidos quingentos geminoſque natos eo perduxit, vt argentum referrent. Vbi vero caſam introiit, exquirit Petrus quid illi numorum eſſet. Ille indicat, continuo Petrus, pluribus opus eſſe. Nam argentum hac capſa, & eam oſtendit, occluſum maioris eſt precii iuxta quod pepigimus. Quam ob rem alterum ex natis Ioannes reuerti iuſſit ſolidos item trecentos relaturum: eodem digreſſo Iohannē ſeorſum ab altero qui manſerat filio Petrus aduocat, ductoque in tenebroſum diuerticulum ſecuri tempus percutit, ſternit, enecat, mox ad natum egrediens, Heus, inquit, ad genitorem propera. Maturat ille vel tale ſuſpicans, ac pariter mactatur: nec mora alter natus adeſt cum impetrata pecunia, intro accerſitur, & genitori germanoque ſociatur. O conſcientiæ vim admirabilem. Is qui hac tam munita vrbe Patauio, tam ſepta, tam cuſtodita, ſcelere patrando non pauebat, eo patrato fit pauidus, ita ut etſi vxor vna conſcia foret, vrbe tamen conſiſtere non eſt fiſus. Interea de Iohanne, de natis, quod non apparebant, rumor ad Præſidem. Is variis indiciis intelligit eos Petri domum ingreſſos, egredi non viſos. Eo igitur immiſſi ſcrutatores, & hi euertentes omnem ſupellectilem in abdito ſecurim ſanguine reſperſam vident, iuxtaque ſub vinario vaſe humum nouiter defoſſam: vnde non multum terræ retegentes (heu facinus indignum) patrem cum natis cruentos intuentur. Hic vero mirifice, ut in omnibus, Patauii Princeps illuſtris Franciſcus Iunior Carrariæ Dux, cuius de iuſtitia, de animi robore, de virtute, non eſt vt explicetur. Hæc enim nulli non patent. Quid igitur egit? Quid? Præmia

in-

ingentia propoſuit, ſi quis hunc ſicarium Patauium adduceret, incredibiliq; cura, & ſtudio effecit vt perduceretur. Vbi Petrus & vxor eodem vehiculo palo deuincti tenaculis ferreis vſti ſunt donec ante maleficii domum ventum eſt. Ibi vxor igne, ſecuri Petrus extincti meritas pœnas dedere. Quid in hæc Petrum impulit? Quid vxorem? Quid Ioannem cum natis? Nonne opum auiditas inhoneſta? O igitur tetram cupiditatem, o periculoſas opes, o funeſtiſſimum aurum. Tui ſitis pudorem ejicit, ſoluit fidem, diſiungit amicitias, euertit iura ſanguinis, diſtrahit affinitates, in horrenda facinora concitat, impellit in mille vitæ deſcrimina, humana diuinaque omnia paſſim polluit fœdatque, ac naturæ fœdera radicitus exſtirpat. Quis poſſet enumerare ſcelera nefaria, & horrenda crimina, quibus inuoluitur humanū genus rei cupiditate? Hoc ipſum & ita palam eſt, vt non egeat exempli. Furta, latrocinia, proditiones, mille talia, & hæc ipſa millies ſingulis quibuſq; horis ac momentis prodire cernimus ab cenſus deſiderio. Non auceps auibus, non venator feris, non piſcibus piſcator tot retia, tendiculas, technas inſtruit, quot inſidias cupidus opulento. Vix enim aliter quam rapinis magnæ diuitiæ ſubito comparantur, vetere quodā prouerbio: *non congerit opes, qui non ſpoliat*. D. Nihil hoc vrget, vt opes fugiamus, abjiciamus, ſed tantum ut ipſarum paratu non labamur ad crimina. Si quis ergo paternas habeat aut auitas, huic qua ratione bonum non eſſe conuincas, non intelligo. F. Quod bonum cedo. D. Honeſtum, vtile, dulce. Nam ad opera virtutū, ad vitę neceſſaria, tum ad iucunditates cum amicis accommodantur. F. Arbitrabar ea

F ſuffi-

ſufficere quæ pręmiſimus, quoniam ſi bona ſunt, non hominis ſunt, ſed aliena. D. Neque ipſe ſentio bonum eas hominis eſſet, ita vt nihil melius. Tu vero nedum bonum non eſſe, ſed malum eſſe, ſuadere nitebaris. F. Malum dixi non ens. Sunt enim vt inanimatæ prorſus exſortes boni, prorſus & mali: ſed malum id dixi, quod per eas accidit frequentiſſime. Nam omitto crimina. Fac enim hominem conſtantem & iuſtum, qui nullo commodo peccaret, nonne opus eſt multa pericula pro parandis diuitiis, multa pro partis tutandis eum ſubire?

Impiger extremos currit mercator ad Indos.

Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Hæc de parandis Flaccus. De tutandis enim paratis, quæ pericula ſubeamus, abunde ſunt argumento Polidorus, & Sichæus quos retulimus. Qua & in re tot quotidiana ſuppeditant exempla, ut prouerbio ſit vſurpatum. *Nil tutius inopia.* Et vero tuta eſt paupertas. ſed & nihilominus audax. Diuitem tyrannus ut numis exhauriret, inſimulauit quod eius clam receptaſſet inimicos. Is intelligens quo tenderet. Ego inquit mox vinctos adducam, ac domú properans loculos attulit: Et hi ſunt, ait, qui latebát inimici: ſume, & pęnas exige. Compos numorú tyrannus, nec de crimine, quod nullum fuerat, vltra quicquam, nec de ipſo vero errore tam liberæ obiurgationis. Ita ſupplicium imminens diuiti, non ſonti, pauper euaſit, non inſons. Tu ergo dicet aliquis commendas inopiam? Non commendo: ſed nego diuitias bonum eſſe: vel ſi perſtas, libera voce laudo paupertatem, ideſt modeſtas opes, quæ non efferantur in opulentiam. Illa enim quamquam ceſſent crimina, in

quæ

quæ, ut diximus, ob eam ſæpe quis impellitur, etſi abſint pericula, quæ, ut oſtendimus, plurima imminent diuitibus. Illa inquam opulentia, non modo non appetenda, ſed fugienda cuique ad virtutes, & philoſophiam contendenti. Multos enim a philoſophando retraxere diuitiæ. Anaxagoram adducerem, ac Democritum, qui ut libere philoſopharentur, diuitias aut deſeruerunt, aut etiam abiecerunt: niſi quælibet ætas noſtra præcipue referta eſſet exemplis, non eorum quippe qui deſeruerint, aut abiecerint diuitias, ſed eorum qui ipſis eneruati ſtudia philoſophiæ dereliquerunt. Nam, quod ait Terentius, *omnium hominum eſſe ingenium ab labore ad libidinem procliue*, ipſi vidimus in compluribus, qui diuitiis obruti vitam ignauo otio perdidere, cùm alioquin eſſent claro ingenio, & diſciplinis, & bonis artibus aptiſſimo. Cùm ergo diuitiæ externæ ab homine ſint, cùm pacem auferant, bella nutriant, impellant in nefas, minuant fidem, cùm ſint in parando laborioſæ, in retinendo anxiæ multis ad perniciem, nullis ad requiem, cùm tollunt audaciam, afferant timiditatem, iter virtute claudant, pandant vitiis & ſceleribus, quid tandem eſt in eis, quod laude dignum cenſeri queat? Niſi quempiam illud mouet, quod multum ſplendoris, nonnihil famæ ſibi comparat, ſi quis eſt qui eis vtatur laudabiliter: tunc tamen non ipſa diuitiarum congeſtio celebratur, ſed earum laudabilis erogatio. Recta autem exiſtimatione bonum illud cenſendum non eſt, quod niſi cùm amittitur, bonum eſſe non poteſt. Nam ex eo neminem credo diuitias bonum exiſtimare, quia neceſſariç ſint nobis in vita, ſi quidem cordi habet, quod pridem aſſerui-

mus, modeſtas opes non diuitias, ſed paupertatem appellandas eſſe. Quomodo igitur alimentis indigemus ad vitam, nec ideo dicimus alimenta bonum humanum, ſed bona ſuo modo: ſic diuitiæ non hominis bonum cenſendæ, ſed bona quædam, ſicuti non nimis appetenda, ita ne penitus fugienda quidem, at ita demum habenda, non ut auaritiæ curemus auiditatem explere: id enim fieri non poteſt; ſed ut neceſſitatibus vitæ ſeruata dignitate ſuccurrere valeamus. Quoniam autem his ut opinor liquido conſtat, diuitias bonum humanum cenſeri non poſſe, conſequens eſt ut de potentia itidem diſſeramus.

Quod in potentia Principatus non ſit Felicitas: & multorum Principum infortunia. Cap. IV.

F. In potentia conſtitutum eſſe, bonum id euidenti argumento eſt, quod confertur in primis. Omnium officiorum pulcherrimum dominari. D. Nonne ſic eſt? F. Vulgo ſic ferunt. Nos autem, ut noſti, vulgaria temnimus. Tibi ergo non ſic videtur? D. Adhuc ſuper his cogito, quæ modo dixiſti de diuitiis: in quas etſi multa congeſſeris, tamen non facile eſt ab eis animum diſtendi per argumenta, cùm rebus ipſis ſita in eis ampliſſima videatur vtilitas. Sed ita mecum loquebare: mulcebas, ut vera mihi quæ dicebas viderentur. ea de cauſa parum te interpellaui, quo conjicias quid exiſtimem de potentia? F. Loquere clarius. An potentes credas beatos eſſe? D. Niſi aliud contra audiam, credo? F. Titubando credis. Itaque ne credis quidem. Illud, enim niſi contra audiam, quid aliud ſibi

vult

vult niſi te dubitare, quodque laudandum eſt doceri velle. Nam velle inſtrui, cùm in quolibet bene diſpoſitæ mentis argumentum bonum, tum in diſcipulo eſt optimũ. Vis igitur ut ſine longiori controuerſia ſtatuamus ante oculos, qualis & quam leuis dominantium felicitas? D. Maxime. F. Nolo teſtes alios: ab ipſis Principibus exquire, non audebunt ſe beatos affirmare: ſic ex eorum pluribus agnoui grauiter dolentibus vnam integram lucem nunquam ſibi contigiſſe non admiſtam anguſtiis. Cogites enim quæ circumſtent. Hinc arida fame plebecula poſcit alimentorum largitatem, diuites accuſant vectigalia grauiora, magnates exiguam comitatem, non ſalutari, non appellari, non eſſe conuiuas. Hæc tamen vtcumque tolerabilia. Sec illa quibus aculeis Principem agitant? Timet enim ne ſuperetur ab hoſtibus, ſine quibus raro Princeps vllus æuo priori fuit, noſtro autem nemo eſt. De externis hoſtibus loquor. Nam abſque domeſticis fuiſſe aut eſſe Principem quemquam tam poſſibile eſt, quàm duo ſimul eſſe pugnantia. Quid autem timent hi? Aſpice quanto ſatellite circumſepti, quot vallati gladiis, quam tutis, & quam munitis oppidis, quanta cuſtodia, ut haud iniuſte Principi cuidam Plato familiaris illuſerit: *Quod* inquit *crimen admiſiſti, qui ne fugias obſeruaris tanto præſidio*? Timoris tamen ſui cauſas habent animaduertentes quam fragilis dominorum ſtatus, quam facilis ruina? Quod in multis cùm ex veteribus hiſtoriis, aut patrum memoria, tum & hac ipſa ętate licet intueri. Nã ut vetera & externa prætercam, atque de Italis tantum loquar, cui Principum non magno timori eſt, cùm meminit Iohannam Hieroſolymæ Regi-

nam

nam, ac Siciliæ. Cuius ſi ſpectes amplitudinem Principatus, raro vnquam mulier omni retro ſeculo par fuit; ſi concilii maturitatem, viros vel grauiſſimos præſtabat, ſi fortunam, miraculo quam vero propius videatur; nam ſummum imperium variarum linguarum deſtinctarumq; gentium perpetua pace iuuenis rexit vſque ſub extremum ſenium. His tamen omnibus eirpi non potuit exitio teterrimo. Culcitis enim, vt ferunt, incluſa efflare ſpiritum præfocatione coacta eſt. Quid eius agnatus Carolus? Nonne & necis eius infauſtus euentus memoria celebrandus eſt? Potitus enim Iohannæ regno Siciliæ, & altero Hunnorum auctus, dum Regum maximus celebratur, vernæ gladio petitus iuuenis admodum vita & Hunnorum regno ſpoliatur. Vt in vtroq; doceretur, nulli ætati tutum dominium. Quod nec illa cum tot præſidiis in ſenectute, neq; hic cum duobus regnis in iuuentute fato violento potuerunt ſe ſubducere. Putet quiſpiam hæc accidiſſe aut mulieri quod imbellis, aut iuueni quod inexpertus: niſi duo quæ ſequuntur exempla falſam huiuſmodi opinionem diſcuterent. Quis enim ferocior Bernaboue Ligurum Inſubrumque Principe non modo ſubditis, ſed extra ditionem eius poſitis, & omnibus fere nationibus formidabili? Nihilo tamen magis tutus, quod incaute, & vnde minime ſuſpicabatur comprehenſus, & vinctus in carcere ſciens, ut aiunt, hauſit venenum cum fame cruciaretur, nec offeretur cibus niſi illitus aconitis. His & compluribus huiuſmodi, quæ in dies licet agnoſcere, indicat fortuna, vel Deus potius, quam inferno ſolio Principes fidant. Hi præſertim, qui humanitates immemores ſæuiunt in omne genus humanum ſine de-

ſcrimi-

ſcriminetdumque metuantur, parui aſtimant, eſſe omnibus inuiſos. Pigeo referre flebilem exitum alterius æque Principis non Ligurum, ſed Patauorum Franciſci Carrariæ Ducis potentia non æquandi Bernaboui, ſed prudentia, & illo & omnibus ſui ſeculi longe ſuperioris, ita ut dominantium præceptor etiam ab ipſo Barnaboue cognominaretur. Plus tamen iniqua fata valuere. Decrepitus enim regno exutus reliquam vitam degit in vinculis, perenne documentum relinquens, nihil ſpei habendum in principatu: quem tueri vel ſumma circumſpectione nó poſſis, nec in eo poſitus tibi contra vitæ diſcrimina conſulere, quæ priuatus aut non ſubires, aut euaderes. Fuerunt autem hi quatuor tantorum Principum caſus intra geminum luſtrum, & vt diximus omnes in Latio. Quo etiam tempore ſtirpe magnifica *della Scala* principatu Veronæ pulſa eſt; nihilo felicius quam progenies de Gambacurtis dominio Piſarum eiecta. Taceo Regulos plures intra idem tempus partim necatos partim ſpoliatos præſidatibus. Iam populorum crebras in regimine mutationes, & eorum qui primores ſunt plebium neces, aut exilia, confiſcationes bonorum, ædium incenſiones, & pleraque huiuſmodi miſerabilia quis enumerabit? Itaque verum eſt quod aiunt: Eos qui populorum Principes, & tamquã ſigna con ſtituti ſunt, ſagittis configi ſolere: tritum confabulatione prouerbium. Porrò cùm in omni Principatu contingat euerſio, tum in violento crebra eſt. Hinc Tragicum illud: *Violenta nemo imperia continuit diu.* Simul & illud Ciceronianum: *Tyrannorum haud fere quiſquam violentum effugit interitum.* Quæ igitur Principi tot obſeſſo curis, ac expoſito tot periculis, caſibus, ruinis, morti-

moribus vlla poteſt eſſe felicitas? Quæ ſi pericula cuncta dimoueas, non ideo dominantes illico felices, cùm nec boni omnes, nemo autem non bonus felix eſt, ut omnium habet ſententia, & vberius in ſequentibus aperiatur. Principum vero multi truculenti, inhumani, violenti, raptores, luxu perditi, virtutum hoſtes, & omnis egregiæ diſciplinæ. Eo fit vt pleroſque regnantium ſepe comitetur infamia. Neque enim ut veſtium cultu deformitas membrorum, ſic ſplendore potentatus vitia diliteſcunt: quin contra ſicut ſordidum pallium, quo quiſque celſiori eſt faſtigio, eo maiori eſt dedecori: ſic & vitia regnantibus. Ideo bene habet illud Biantis: *Principatus virum oſtendit*. Et in eandem ſententiam quod dicitur: *Vis noſse ruſticum imperitum rudem? Officio præficito*. Sic ergo, inquies, fugiendum regnare, quod quid eſt aliud quam euertere funditus omnem rempublicam? Ego vero non contendo principatum eſſe vitandum; ſed non ideo appetendum, ut putetur in eo conſtituta felicitas. In quo quia multa iam diximus, tum & illa quæ de diuitiis prælibata ſunt huc poſſunt adiici, pergere licet ad ſequentia.

Quod in Honore, Fama, & Gloria, non ſit Felicitas. Cap. V.

F. Beatitudinem honore, fama, & gloria comparari ex eo putant; quia nihil eſt quod æque ac honor probum ſecernat ab ignauo. Tum in appetendis magno viro nihil magis inſidere videtur, quam famæ peruagatio. Gloriam præterea certum teſtimonium eſſe virtutis. His adſtipula-

ſtipulatur magna de honore contentio, quæ ſemper eſt inter egregios. Cur enim ſingularibus odiis Hector & Achilles diſsidebant, niſi quia ſuæ vterque partis eminentiſſimus ferebatur? Eleganter Horatius: *inter*

Hectora Priamiden animoſum, atq; inter Achillem
Ira fuit capitalis, vt vltima diuideret mors:
Non aliam ob cauſam, niſi quod virtus in vtroque
Summa fuit.

D. Primum id expedi, cur tria iſta conglomeras? Non aliud honor, aliud fama, aliud gloria? F. Nempe aliud. D. Cur igitur non ſeorſum? F. Quia quod attinet ad hanc diſputationem, connexa ſunt. eo enim bona hæc iudicamus, quia monimentum de nobis perhibent probitatis. D. Teneo, nunc quod agitur. An ut hæc cenſeantur bona monimentum quod nunc dixiſti parum indicio tibi videtur? F. Haud parum, nec tamen ideo bona. Nam aliena prorſus cum ſint, oſtenſum eſt bona noſtra eſſe non poſſe. Quod enim non ab ſe ipſo, ſed ab alio pendet, tuum bonum cenſeri quî poteſt? Si veſtibus alienis tectum quiſque ſuas auocando nudum te deſerat, nihil erit, vnde iniuriarum conqueri poſſis. Cur ita? Quia dictante ratione, moribus approbantibus, lege permittente licuit illis ſua repoſcere. vnde & illud: Nemini facit iniuriam, quiquis vtitur iure ſuo. Sic eſt in honore, fama, & gloria. Fac eos penes quos hæc nactus es ab his abſiſtere, non iniuriantur. quia non auferunt ſua, ſed ſua non tribuunt Video quid dices. Hoc ſcilicet fieri non poſſe. neq; enim eſſe conſequens, eum qui honore non ſit affectus, illo exui nihil interea demerentem. Sino, ne aducſer in-

G en ni-

omnibus. Sed fac eos emori, quibus cum fouebare fruens honore, fama, & gloria: ſi tua illa fuerant bona, rem ab ſurdiſſima audies. D. Quam? F. Te viuente bona tua ſepultum iri. quo quid inconuenientius dici aut cogitari queat? Ac tria iſta honor, fama, gloria, cùm, ut diximus, non ob aliud bona cenſeantur, niſi quia teſtimonia ſunt probitatis: non igitur illa bona, ſed ipſa probitas. Niſi felicem exiſtimamus hęc aſſecutum ſine probitate: quod cùm nunquam aut raro accidat, tum, etſi accidat, negandus eſt felix eſſe, cuius felicitas nihil omnino niſi vmbra quædam, & ſomnium. Quid quod huiuſmodi roduntur perpetua cura, cogitantes non ſe id eſſe, quod habentur, ac veriti ne retegantur velata & ignota vitia quibus victi ſeſe dediderunt, & vltro parent. itaque leui momento fiant inglorii. Sicut enim ferunt. veluti demortuum nihil patitur mare, ſic & terra nihil tacitum. Quod cum in multis inſpiciamus, tum de vitiis ita perſpicuum eſt, ut intrepide poſſit affirmari. Nihil minus facile occuli poſſe, quam vitium. quia tametſi cum externis ſimulare quis poſſit, cum domeſticis, & familiaribus haud poteſt. Nam quotidianæ vitæ conſuetudo cuiuſque ingenium ut ſit declarat maxime, ut ait Comicus. Atque ſi qui vlli ſint, qui flagitia non penitus dimitiere, ſed in abdito habere moliuntur, fit in eis quod in amne recluſo conſueuit. Qui ſi qua vi perruperit obices, ac repagula, labetur multo tumultuoſior quam fuerat. Itaque namque & illorum vitia claudi non paſſa vehementius efferuntur, & quaſi momentis inſtantaneis diffunduntur quocumque ipſorum clara falſo percrebuerat exiſtimatio. Nihil equidem velocius fama, præſertim de malis. Præ-

clare Virgilius:

Fama malum, quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget vireſque acquirit eundo.

Nihil etiam fragilius, & mutabilius quam claritas nominis. Hinc fama merito vitrea dicitur apud Horatium. Maxime propria ſimilitudo. Quid enim infirmius vitro? Nihil, ſed nihilo firmior fama, quæ dicto citius euaneſcit. Eius enim cita tranſmutatio non aduenit tunc tantum, cùm aliquid in cauſa eſt, puta quia hi, qui boni credebantur, reteguntur eſſe criminoſi, ſed quando etiam de bonis viris, & optimæ famæ, ne qua intercidente cauſa miniſterio improborum pullulat infamia. Nam quod accidit in naturalibus, ut quæ difficulter adoleſcant non extinguantur facile: non idem in fama, quæ multis parta ſudoribus leuibus ſæpe diffluit momentis. Quo conſtet omniũ quæ maxime laborioſa ſunt, vnum laborioſius, famæ cuſtodiam. *Magnus enim labor eſt magnæ cuſtodia famæ*, ut ait Petrarcha. Niſi igitur moleſtiam beatitudinem dicimus, non eſt vnde felicitas conſiſtere poſſit in fama: cuius eſt in acquiſitione tantus labor, ac tam grandis in conſeruatione difficultas. Ad hæc, honoris, famæ, gloriæ cupiditas multorum cauſæ ſunt malorum, quod malos patimur, atq; nonnunquam etiam fouemus, ne qua ex parte nobis ſuboriãtur detractores. Vnde mercator apud Terentium. *Noſtrapte culpa facimus, vt malos expediat eſſe, dum nimium dici nos bonos ſtudemus & benignos.* Ergo mercator viderit hæc non appetenda, & nos qui ſtudemus philoſophiæ non videbimus? Nec vero ita hæc non appetenda, ut dedita opera fugiamus. Sicut enim magni viri eſt, hæc non deſiderare, ita

G 2 & fu-

& ſapientis non fugere: ne videamur non curare, quid exiſtimetur de nobis, quod nulla ratione poteſt non eſſe culpabile. Sed nec ob honoris, famæ, vel gloriæ cupiditatem committendum omittendumue quicquam eſt, quod deuiet a rectitudine. Pro qua ſunt iucunda omnia poſthabenda, quę plerique magni faciunt, ut opes, ut potentia, ut honor, fama, & gloria: pro qua etiã rectitudine ſunt ardua quęque ſubeunda, ut exilia, carcer, infamia, cruciatus corporis, membrorum amiſſio, vel ſi id oportuerit, & vitæ. Et hoc quiſquis nequit, fateatur ſe, quo ſita ſit animi magnitudo, non intelligere. Bene autem comparatum eſt, quod improbi quo magis ambiunt honores, famam, & gloriam, eo magis elongantur: probi quo contemnunt vehementius, eo citius aſſequuntur. Ac de his ſatis dictum eſt.

Quod in Speculatione non ſit Felicitas: & ſcientiarum Comparatio, & Laus Sapientiæ Canonicæ, & Ciuilis. Cap. VI.

F. Opinantur etiam nonnulli, ut diximus, Felicitatem in ſpeculatione conſiſtere. quibus adminiculatur Maroneum illud:

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

D. Nonne terret hos labor? Qui enim addit ſcientiam, addit laborem, ut ait Salomon. F. Laborem dicunt eſſe cum requie: illum corporis, hanc animi. Quies enim ſapientis, ut multi philoſophorum ſentiunt: ut vero Cicero cenſet, & viuere eſt cogitare D. Vbi quietem hanc veneentur non intelligo. Mihi quidem difficile aliquid ſpeculanti laſsitudo ſępe

ani-

animi afflictatio, tædium oboritur. F. Laſſari poteſt ergo animus? D. Opinor. F. Non recte, ſi meminiſti, quod conceſſum eſt Libro ſuperiori cœleſtem ſpiritũ eſſe humanã animã. Nam cœleſtia fatigari nõ magis contingere poteſt, quam frangi, quam minui, quam extingui. D. Quid affligi? Quid attædiari? F. De his etiam controuerſia. Nos tamen id fieri poſſe de humano animo fateamur, agentes, ut aiunt, pingui Mineruа: ſed nego ſpeculatione affligi attædiariue animum. Alioquin falſo dixiſſet Ariſtoteles, *Omnes homines natura ſcire deſiderare*. Quis enim optat ut affligatur, vel afficiatur tædio? Tum itaque cùm ſtudemus intelligere difficilia, ſenſus animo ſeruientes illi ſunt qui laſſantur, ipſi qui affliguntur, ipſi qui attædiantur; animus vero ſpeculando fit viuacior, & conſolatior, & lætior, ut qui verum inueſtigando perficitur, quieſcendo tabeſcit, & quaſi rubigine nimio ſitu obducitur, atque cum viuat parum diſtat a mortuo. Dicunt igitur hi qui Felicitatem ponunt in ſpeculatione, quòd cùm non aliud ſit ſpeculari, quam animam de potentia in actum educere: eſt autem id animum perficere; merito conſtitutam in ſpeculatione felicitatem. Adjiciunt id, in quo nemo refragatur, ſpeculationem quæri propter ſe: tum inferunt, eam humanam eſſe felicitatem, quæ cùm hominem perficiat, tum & propter ſe, & ob aliud, nihil appetitur ab hominibus. Hinc oritur inter ſcientias de nobilitate certamen. Nam cùm aliæ ſpeculatiuæ ſint, aliæ practicæ; ſi quæ præmiſimus vera ſunt, nobiliores videntur ſpeculatiuæ, tanquam in quibus ſedem fixerit beatitudo, tum ex aduerſo particularibus rationibus pro ſe quiſque nititur. Grammaticus quod

prima-

principium in ſcientias tradit. Logicus quod viam. Rhetor quia verborum copiam, & ornatum: quem non magis vrgent, quam ſi quis eo velit arandi artem, & ſerendi præferre diſciplinis omnibus etiam clariſſimis, quia per eas artes vitæ conſulitur, ſine qua nemo poteſt intendere animum ad aliqua ſtudia. De reliquis etiam liberalibus idẽ fere dicendum. Sed Phyſici, quos Philoſophos naturales dicunt, ſed Medici vitam paciſci volunt, niſi ſuas ſcientias conuincant omnibus eſſe digniores: qua concertatione, ut nulla curioſior, ſic & nulla inutilior. Itaque relinquenda videntur. Tot ſunt enim ſcitu neceſſaria quæ ignoramus, ut ſuperfluis nos onerare ſit inſcitiæ. Vt tamen in errore Medici non verſentur, ſuum legant Ariſtotelem. Is Moralem nihil minus Medicinæ, quàm corpori animam præfert. Nam de Phyſica videretur nõ nihil vrgere, quod præmiſimus de nobilitate ſpeculationis, niſi & huic ipſi ſpeculationi, & omnibus denique diſciplinis eandem moralem ſeu ciuilem ſcientiam idem Ariſtoteles anteferret, quam & Architectonicam vocat, id eſt primam & eminentiorem, & tanquam principem inter ceteras. Audebuntne iterum alios incellere, qui ſuis codicibus reuincuntur. Eſt autem id victoriæ genus admirabilius, quo victus concidit non victoris armis, ſed propriis. Hoc tanto teſte, cui phyſici, & medici ſacrilegium exiſtimant cõtraire, ne ſuperati videantur ab Iuriſconſultis, aiunt, non de morali locutum Ariſtotelem quæ codicibus Iuris, ſed quę Ethicorum, Oeconomicæ, Politicorumque continetur: quaſi vero in his perfectius quam in ſacris legum voluminibus agatur de moralibus: quod magis eſt abſonum, quàm aſſerere cognitionem,

qua-

qua pergens ad nos cognoſcitur ut animal, ea perfectiorem, qua ut homo, & qua ut Gaius. Enimuero in codicibus legalibus articulate diſtinctéque traditur, quicquid in Ariſtotelicis in vniuerſo, & tanquam in confuſo eſt. Sunt nempe illi veluti cunabula quædam, & principia proficiſcentibus in ſapientiam legalem. At quaſi deſit quid diſputetur, etiam in eo ſe occupant & contendunt hi, qui ſolis Imperatorum legibus vacant, ut eam ſapientiam, quæ vulgo legalis dicitur, ei anteponant, quæ continetur legibus Romanorum Pontificum, quas Canones appellamus. Par autem eſt hæc diſputatio, ac ſi quis eundem hominem medium ſecet, atq; deinde contendat eorum partium vtra vtri præhabenda: quoniam ita vnitæ ſunt hæ ſcientiæ, vel potius ſic ex his vnica conficitur, ut non magis ex duabus partibus eiuſdem hominis, aut ex anima & corpore vnus homo. Sicut enim anima & corpore conſtat vna hominis vita: ſic ad vnius Reipublicæ regimen cum in ſacris, tum profanis jura conduntur. Hæc igitur jura ſcientia vna complectitur, Iuris videlicet diuini & humani, ſeu Canonici & Ciuilis ſapientia. Plane cum & de partibus eiuſdem hominis quæratur, an alia ſit alia præcellentior, & quæ, ſi quis identidem exquirat harum duarum iuris partium vtra dignior, Canonica ne an Ciuilis, habeo vnde honeſte valeam detrectare reſponſum: quod iure videri poſſum non vacare ſuſpicione. qui licet in vtraque, vellem digne, profeſſus, in Canonica tamen docendo tria iam luſtra, & eo amplius impendi, ut ex diuturna familiaritate cōflata grandior videatur affectio: tum & alia cauſa eſt; nam in Canonica commentarios ſcribens inter multa (ſunt enim ampliſſima

volu-

volumina) ſic exigit ſcientiæ latitudo. Inter multa igitur & variis in locis de quo nunc diſputatur agens meam non tacui ſententiam. Quid ergo amplius obtundam? Simul & id cauendum, quod ſemper, ut aiunt, odioſa eſt & inuiſa comparatio. Si quis tamen vrgeat, & fari cogat, ut nunc res eſt, ita ſentio: Legalem diſertius, Canonicam, quod ad hodiernum iuris exercitium attinet, utilius traditam, vt quę recentioribus ex deciſionibus prodita eſt: tum Canonicā, quæ in diuinis magis quam in humanis verſatur, legaliq; modo conuerſo progreditur, tanto digniorem, quanto humanis diuina potiora. Et hæc quidem diximus non tam noſtra voluntate, quam propter litigioſos, quibus nec forte iſta ſufficerent. Maluntenim decertare, quam vincere: nos vero illi ſumus, qui vinci eligimus potius, quam ut vincamus, ſemper eſſe in certamine. Digladientur itaque illi per me licet, quos rationibus ſuperare non arduū, oratione perdifficile. Garriunt enim tum maxime cùm ſunt argumētis irretiti, falſo exiſtimantes confuſionem ſuam tegere inconditis pro ſe clamoribus. Quod ergo ad nos attinet, hac cōtentione de his duabus ſcientiis, quæ germanæ ſunt, derelicta, non de ipſis diuiſim agamus, ſed tanquam vno prodeuntibus vtero laudes non impares celebremus. Laudes vero huius diuinæ iuris vtriuſque ſapientiæ quis nedum referat, ſed vel mediocriter cogitarit? Quoniam hæc illa eſt, quæ genus humanum ſuo quemque diſtinguens ordine counuit: hęc regna, prouincias, gentes, certis finibus ſeiunxit: hæc vrbes, oppida, pagos congregauit: hac inſtruitur minor deferre maiori, & parere, maior minori opitulari, & conſulere; quiſque Deum colere & venerari: ex hac

colligitur, qua ratione imperet princeps ſubditis, filio pater, vir vxori, auditori præceptor, herus vernaculis. Hic inuenit Pontifex quibus artibus plebem Deo lucrifaciat, quo tenore, quibus ſermonibus, & modis, & formis Sacramenta miniſtrãda ſint. Hic habet ſacerdos, hic clericus, hic monachus, quo tẽpore, quo loco, quo ordine ſacris intẽdat. Hic laicus a quibus audire diuina, a quibus quæ & quãdo eccleſiaſtica percipere ſacramẽta. Per hanc bonus remuneratur, corrigitur malus, ad bonum quilibet inuitatur; per eandẽ datur pupillo tutor, adulto furioſo & prodigo curator, viduæ inopibuſque defenſor: ex eadem quid ſit agendum quidue cauendum erudimur, atque vt lædamus neminem, & cuique quod ſuum eſt tribuamus, nec ipſi aliis faciamus, quod pati ab aliis abhorremus. In hac diſponuntur iudicia, contractus formantur, ordinantur teſtamenta. Hinc pacis fœdera, hinc bellorum iura & poſt liminia Quid ſingula perſequor? Huius denique ſuffragio vniuerſus orbis optime ſine ipſi peruerſe gubernatur, diuinaque & humana omnia confunduntur, & perturbantur, & pereunt, nec vlla vnquam Monarchia creuit, aut aliqua diu floruit. Imo nec vlla vrbs perſiſtere, aut vlla congregatio conſeruari poteſt, niſi huius diuinæ largitionis præceptis inſtituta, ac eiuſdam largitionis vallata, & cincumſepta præſidiis. Atqui non me hoc loco præterit quoſdam grauiter laturos, ſi Oratoriam, ſi Poeticam, ſi Methaphyſicam, quam diuinam dicunt, tacitus tranſiero, nec retulero nominatim. Quibus, etſi præteriſſem, eſſet vnde verecundus ſed intrepidus reſponderem, quod hæc ut multa ignorare potui, contemnere certe haud volu. De Oratoria præterea, & Poetica

dictum videtur, cùm de Rhetorica dictum ſit, ſub qua ſunt ambæ conſtitutæ. Nec tamen negauerim Oratores & Poetas clariſſimis efferendis laudum titulis, quos etiã Poetas præcipue lauro inſtar Imperatorum ac Ducum exercitus coronauit omnis antiquitas. Haud ab re id quidem. Nam veluti laurum nulla utlibet acerba hiems foliis, ſic Oratores ſic Vates edax temporum vetuſtas nominis & famæ præconiis non expoliat. Sic promerentur eorum monimenta pene immortalia libris elegantiſſimis, & ſtilo ſuauiſſimo conſecrata. Quibus quid illuſtrius, quid pulcrius, quid venuſtius, aut dici aut excogitari poſſet? Nec tamen indignantur Oratores, nec Vates ſubdere colla legibus: quibus & Romani Principes, Papa, & Imperator, quanquam potuiſſent, ſe tamen ſubducere noluere. De Metaphyſica vero ſeu Theologia, quod necdum attigi cauſa fuit, quod ſunt qui non hæſitandum putent hanc, & ſcientia iuris, & omnino aliis ſine controuerſia digniorem, atque de Deo ſit, qui ſcientiarum rerum dominus eſt omnium. Itaq; poſtremo de ipſa dicendum fuit, ſiquidem, ut ante diximus, naturali ordine ab imperfectioribus ad perfectiora proceditur. Sed his poſſet illud obijci quod multis, qui cauſam diiudicant antequam diſcernant: quo quid impudentius, aut inconſideratius? Numquid enim in ſacratiſſima iuriſſapientia de Deo non agitur? non de Fide? non de Caritate? non de Spe? non de reliquis ad fidem, & Dei cultum ſpectantibus? At enim in Sacra ſcriptura, quæ Theologia dicitur, fere omnia de Deo. In iure de Deo pauciſſima, de litibus ſanè complura? Quaſi verò lites ſedare diuinum non ſit. Quid illud? quo ſenſu accipitis, quod in Euangelio p[illegible]

cipitur, ut antea fratri reconciliemur, quam Deo munus offeramus. Si ergo fratrem reconciliari fratri, Deo eſt acceptius quam orare, quam offerre munus ſacrificij; cùm hęc diuina eſſe non dubitetis, illud quod præſtantius eſt diuinum negabitis? At præmiis ad iudicandum adducuntur iudices, non ut pacem inter fratres, non ut ſibi cœleſte præmium procurent. De bonis & rectis equidem nego, de malis non poſſum diffiteri. An vero in ſacra ſcriptura nemo proficit niſi bonus, niſi de anima ſolicitus, niſi ad ſolam affectus cœleſtem vitam? Et non potius multi, pro faſtu pro inani gloria, pro dignitatibus aſſequendis, aut inter ſuos principatu, quod in religionibus euenit frequentiſſime, adeo ut etiam reſcriptis Apoſtolicis plerumque nitantur indigni, atque non ſine Dei offenſa, & fidei non parua contumelia magiſtrentur, antequam ratio ſtudiorum aut amplitudo ſcientiæ depoſcant. Sed & hi poſſunt eſſe doctiſſimi. Sint ſane. Sed tempora non expectaſſe, ab ignorantiæ ſuſpicione vix ab ambitionis nullo fere pacto defendi poteſt. Aſt, ſi cui placet, defendantur etiã ab ambitione ſino, modo ne aduerſentur aliis, nec de ſcientiæ ſuæ nobilitate decertent, quaſi de ſe ipſis diffidant, nec ſint aliunde gloriã ſuſcepturi. Nec vero cogitẽt me voluiſſe per ſuperiora diuinæ ſcripturæ dignitatẽ imminuere, quin contra magis eam cupio laudare, quam poſſum. Eſt enim pro excellentia tantæ rei laus omnis humana longe impar. Quo tamẽ eminentior eſt, eo tenacius ſuadet, ut legibus pareatur, cùm & ipſe Redemptor ſeſe legibus non exemerit, quoniam, vti de ſe ipſo teſtatur, non venit ſoluere legem, ſed adimplere. Dicit hic fortaſſe quiſpiam, ibi non de humana lege dixiſſe

Redemptorem ſed diuina,quæ ipſa eſt Theologia. Quod non eſt aliud,quam omnem iuris ſapientiam humanam dicere, cùm tamen in ea multa de diuinis agantur, præcipue in illa quæ Canonica dicitur, inqua omnino perfectius quam in Theologia de Sacramentis Eccleſiaſticis, & miniſtris eorum determinatur. Vnde recte Pontifices Romani ius Canonicum non humanum,ſed diuinum,appellarunt. Iuſte id quidem tum ex conditore, tum ex fine. Ex conditore nempe,quia a ſolo Summo Pontifice prodit,quo inter homines nil diuinius Ex fine vero,quia nō humana proponit, non terrena, non caduca,ſed diuina, ſed cœleſtia, ſed æterna. vbi poſſumus hoc loco impauide (ſic enim ſentimus & ſepe vidimus) affirmare multo vtilius Eccleſiæ prouideri, ſi Prælatus in ſola Canonica, quam ſi in ſola Theologia ſit inſtructus, tametſi vtraque ſit in eo deſideranda. Si quis tamen Canonicam recte norit, is etiā Theologiam, pluſquam mediocriter cognoſcet,& æque legalem ſapientiam.Eſt nempe Canonica tanquam miſtum quoddam ex illis ambabus .Sed iam longæ contentionis inter ſcientias finis eſto. Longius autem peruagata eſt oratio, dum fauemus his,qui rentur felicitatem in ſpeculatione conſtitutam; ad quos redeundi tempus videtur. Et ut noſtrum quam breuiſſime iudiciū pandamus,noſtra ſic fert opinio, quod illis aſſentiri non poſſumus, quin ſimul fateamur,quod ſupra negauimus, & malos poſſe fieri beatos,rem penitus incredibilem & plane falſam.Præclare Iuuenalis: *Nemo malus felix*. Conſtat autem & malos poſſe ſpeculari, niſi de ſpeculatione vera quis intelligat, quæ tunc tantum in nobis peragitur, cùm in ſuo & omnium principio noſtra

figitur

ſigitur intellectio. Quod non in hac vita mortales, ſed in cœleſti beatos aſſequi non tantum credendū, ſed etiam intrepida fide confitendum eſt. Et de hac ipſa ſpeculatione vera dicemus in volumine conſequenti. Nunc enim non de cœleſti beatitudine, de qua in volumine illo agitur, at de terreſtri; quam non eſſe in ſpeculatione ſitam arbitror ſatis oſtenſum. Hactenus igitur de hoc. Nam ad alia feſtinamus. Erat ergo aliorum ſententia, quod in virture, ſed aliorū quod in operatione ſecundum virtutem, felicitas eſſet: quos iam æquum eſt ut audiamus.

An in virtute, an Virtutis operatione potius ſit felicitas: & quod non tam in his, quam in Deo.
Cap. VII.

F. Virtutem ſi ſolā beatum efficere Stoici volunt & Ciceros Peripatetici, Ariſtoteles præcipue, præter virtutem, & eam perfectam, exigunt eam, quam virtus edit, operationem perfectam: quorū mens eadem eſt, ut vt ſermo diuerſus videatur, niſi quod pleriq; rebus non contenti phaleratis ſermonibus delectantur. Quid enim? Eſtne quis virtuoſus, ſi non virtuoſe? aut quiſquam virtuoſe viuit, ſine virtute? Nam illa quam leuia? Virtutibus clarum interdum obdormiſcere, & ita tunc per virtutem nihil operari, proinde interea non eſſe felicem, ſcilicet. Illi enim Stoici crediderunt fieri poſſe, ut ſit homo æterna quædam intelligentia, quę ſemper in actu eſſet, & in virtutis intentione, nec aliquando lenteſceret: aut eſt quis ita vecors, cui abditum ſit corporeas indigentias, ut eſurire, ut ſiti areſcere,

re, ut ſomno obrui, quemquam effugere non poſſe. Præterea reliquas indigentias, quas tot eſſe conſtat, ut noſtram vitam vere ſapientes cenſuerint non vitam eſſe, ſed mortē. Quid quod & ætatis nulla permanſio, nulla cōſtantia. Noſtros ortus excipit infantia, infantiam pueritia, pueritiam adoleſcentia, adoleſcentiam iuuentus, iuuentutem virilitas, virilitatem ſenectus, ſenectutem ſenium, & hoc ipſum mors celerrima concludit. Hac ſane alternatione introducimus breuem hanc vitam, & fragilem: cuius & breuitas cum ipſa vitæ paucitate nimia foret, tum & frequentibus quibus affligimur morbis, tum & caſibus innumeris, quos ſubimus, plerumque fit breuior, ut mors, aut numquam procul abſit, aut quod nimium vere dicitur omnibus ætatibus, & in omnes horas impendeat. Quam ob rem in tot varietatibus, tot morbis, tot vitæ anfractibus, tanta breuitate minimum tempus eſt, quo ut viros agere vitam liceat. Minimum igitur, & quo virtutem non modo exercere, ſed vel comparare vel tueri iam partam. Idcirco abſonū & odioſum, felicitatē ita limitibus aſtringi, ut niſi dum quid agimus virtuoſè careamus beatitudine; ſed ſufficere, virtutis nos eſſe nō expertes. Ac neq; virtutē, neq; eam quę ex virtute eſt actionē, niſi tribuatur a Deo, (dominus enim eſt virtutum,) mortales aſſequi poſſe fas eſt cogitare. Diſputent itaque in quo prædiximus Stoici, & Peripatetici: nos in Deo figamus cogitatus noſtros, non hæſitantes ei curæ eſſe mortalia. Scit & quo indigeamus longe melius atque nos ipſi. Bene profecto Iuuenalis:

Nil ergo optabunt homines, ſi concilium vis,
Permittes ipſis expendere numinibus quid

Con-

Conueniat nobis, rebuſque ſit vtile noſtris.
Nam pro iucundis aptiſsima quæque dabunt Dii.
Carior eſt illis homo, quam ſibi.

Nihilne ergo, dicet quis, vouendum? aut nihil a Deo precibus expetendum? Sane nihil in ſpecie: tamen, ſi quem tenet votorum fides aut precium, non eſt improbandum, ſi cum Stoicis oret pro virtute, atque cum Peripateticis pro actione virtutis, eodem ipſo Iuuenale permittente:

Fortem poſce animum, mortis terrore carentem,
Qui ſpatium vitæ extremum inter munera ponat,
Naturæ qui ferre queat quoſcunque labores,
Neſciat iraſci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat ſæuoſque labores,
Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali.

Et poſt parum:

Semita certe
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.

Sed ita demum pro huiuſmodi Deum exoremus, ut patienter feramus quamcumque ſortiti fuerimus aut naturam aut fortunam. Stultum enim ex his commoueri, quæ nulla ratione poſſunt eum, cui ad votum ceſſerint, ignauum erigere, nec fortem dejicere, cui non ceſſerint. Naturam enim non egregiam poſſumus moribus excolere fortunamque ſæuientem lenire patientia: non ſic vitæ turpitudinem tegere membrorum formoſitate, nec cupiditatem ſedare copia fortunarum. D. Quid de alimentis? Eorumne etiam caritas, & inopia fortem non commouebunt? F. Minime horum accuratus erit, conſilio fretus Saluatoris. *Nolite ſolici-*

liciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operemur. Scit enim pater veſter quod his indigetis. Quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius: & omnia hæc adiicientur vobis. D Non paucos equidem Sanctos, & in Deo ſperantes impii tortores fame necauerunt. F. Quid tum? Namque non ſpopondit Saluator in ſe confidentibus immortalitatem huius vitæ. Nam mox, vt æterna eſſet, terrena eſſe deſineret. Eſt enim omne terrenum corruptibile. Non ergo ait Saluator alimenta illis auferri non poſſe, ſed præ inopia nunquam defutura. Amplius, etſi auferantur, nihilo tamen magis fortis hic quem dixi proſternetur, qui nec mortem exhorret, ſed cum Apoſtolo diſſolui cupit, & eſſe cum Chriſto. D. Quid alia, quæ duriſſima iudicantur, exilium, carcer, iniuſta infamia, & reliqua huiuſmodi ipſo cogitatu nos afficientia terroribus? Hiſne fortis hic exterrebitur? F. Qui mortem non pauet, qui fieri poteſt ut expugnent hæc leuiora? Quæ cùm fortuita ſint, ab his tantum timentur, qui omnia ſua præſidia in fortuna collocarunt, non ab his qui in virtute, multo etiam minus ſi in Deo. Hi enim, qui ſua omnia in Deum referunt, hæc aduerſa, & ſi qua etiá maiora mirum dictu ut ſuſtinent, Deus immortalis ſuſtinent, imo vero ut contemnunt, & pro nihilo ducunt. Loquamur intrepide, quoniá vere, imo potius, quod vix credi poſſit, ut gaudentes excipiunt, & ſe quoque offerunt, haud dubie credentes verbo veritatis, quo beati cenſentur, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiá, quoniá ipſorum eſt regnũ cœlorum. Habes meam de felicitate [illegible] quæ non vera, ſed inſtar veræ eſt, ſententiam, imo non tam meam, quam Saluatoris, qui ut nunc diximus beatos iudi-

cat

cat eos,qui propter iuſtitiam perſecutionem patiuntur.Hoc autem iudicium ignorari a quoquam poteſt, euerti certo non poteſt; hoc ſi probas,licebit ad alia proficiſci. D. Planius ediſſeras neceſſe eſt: breuius enim dixiſti,quam ut perfecte res tanta cognoſci poſſit. F. Beatum dico,qui non in caſu,ſed virtute confidit: cuius ætas non in voluptatibus, & mollibus conſumitur; ſed in rectis & arduis actionibus: cui non vitium, ſed honeſtas grata eſt: quem ad ſe terrena non rapiunt, ſed cœleſtia, quibus innexus, & de vita illa cœleſti cogitans nullis fortunæ blanditiis ſeducitur, nec minus exterretur: nulla vitæ huius dulcedine capitur, nec amaritudine præcipitatur: nullas metuit aduerſitates, nec proſperitates plus nimio deſiderat: nullum deniq; vitæ veretur exitium, ut terena ſolutus contagione liber aduolet in cœlos eam poſſeſſurus indeficientem gloriam, cuius deſiderio viuens cum mentis affictione flagrauit.

Confutatio eorum qui negant hominem poſse operari virtuoſe, & multorum promiſcui ſexus relatio, qui fuerunt virtuoſi, cum Gentilium, tum Catholicorum, & nominatim de aliquibus Sanctis, maxime Iuſtina, & Proſdocimo. Cap. VIII.

F. Inculcabunt illico contentioſi,Beatitudinem hanc ſermonibus promi poſſe, rebus ipſis comparari non poſſe: quaſi nemo virtutis amator fuerit, cùm contra de huiuſmodi ſint Gentilium, & Catholicorum repleti codices. Cui enim auditum non ſit Socratē impauida manu venenum iuſſu tyrannorum Athenienſium oblatum ſuſcepiſſe, in-

cunctanterque hauſiſſe, dum vita mavult cedere, quàm virtute? Quis, ut a Græcis tranſgrediar, qui plurimi fuere, ille eſt, quem fugiat eloquentiæ Principem Ciceronem ob diſſidium cum Antonio pro Republica, quam lacerabat Antonius, ſuſceptum ferro iuſſu eius necatum eſſe? Eam vero necem, ut Quintilianus atteſtatur, tulit forti & infracto animo, indignum ratus ſe contemptorem videri ſuorum ſalubrium præceptorum, ut mortem, quam ſapienti nõ temendam tot voluminibus monſtrauerat, per horreſceret, reprobans in ſe ipſo quod ut aliis probaretur tantopere perſuaſerat. Quid enim indignius viro graui, quàm verbo vbi facile & femineum eſt fortem, exemplo vero vbi arduum & virile impotentem agere? Sed hi Philoſophi, & ſinguli. Quid quod indocti, & in numerum coacti itidem factitarunt? Nam & Romanas Legiones, ac exterarum gentiũ ampliſſimos exercitus pro ſalute ſuæ Reipublicæ morte non dubia ſe obieciſſe conſtat. Felix exitus, qui & patriæ ſalutẽ, & defunctis perennem ex gloria vitam peperit. Hæc autẽ virorum. Sed & in feminis idem enituit cùm ſæpe tum præcipue victis a Mario Theutonis; quorum feminæ non impetrato quod à victore poſcebant, pudicitiá vt cum Veſtalibus Romæ tueri poſſent, mortem ſibi conſciere. Præclara, ſi fidem Catholicam ſepoſueris, nimirum fortitudo, cum in ſe tum maxime in eo quod præſtitit: quod & fortitudinis ſummum ſit mortem pro virtute non horreſcere, ſaluti que anteponere dignitatem: ſexus autem feminei maximum ornamentorum pudicitia. Hæc tamen omnia, quia gentilium, & pro ſeculi gloria, non contingunt eam quam exquirimus beatitudinem, quæ aut in Deo, aut non ſine Deo

eſt,

eſt. Tranſgrediamur igitur ad Catholicos, quorum incredibilem numerũ magis cum ſilentio mirari poſſumus, quã referre, nempe bonum habuerunt præceptorum. Ipſe namque fidei culmen legislator Redemptor noſter veritatem prædicans in præmium virtutis, crucis patibulo ſuggeſtionibus impiorum affixus eſt. Solidum initium tam late diffundendæ fidei, cuius baſes niſi in tenaciſſimo fundamento nunquam ita fixæ iaci potuiſſent. Hinc Apoſtoli qui fere omnes eandem ob cauſam variis ſuppliciis temporalem vitam æterna commutarunt. Hinc agmina martyrum, in quibus omnia tormentorum genera tentauit iniquitas, nec ob id eorum in fide conſtantiam flexit. Tam arduis quidem exordiis oportuit alte latentem fidei veritatẽ duris pectoribus non credentium inſeri. Virginem enim peperiſſe, multaque alia fidei dogmata, quæ naturæ obuia videntur, qua ratione duceremur ad credendum, niſi tot tamque certiſſimis teſtibus alliceremur. Nam initio & Apoſtolis Redemptor, & Martyribus Apoſtoli teſtimoniũ & exemplum præſtitere. De Doctrina vero quid attinet dicere? Quæ tanta in ipſo Redemptore, in Apoſtolis, in Euangeliſtis effulſit, ut ſine illis exemplis videatur ad inſtruendam fidem ſufficere potuiſſe. Ea autem addita ſunt exẽpla, ut vel timidos erigere atque ad fidem animare ſine ulla doctrina poſſint. Quibus effectum eſt, ut non modo viri, ſed & feminæ Martyrium ultro pertulerint, ut fidei atteſtarentur. Catharinam, Agnetem, Luciam, Agatham, Virgines, & Martyres, nemo non audiuit forti animo vixdum puberes omnibus ſuppliciis exquiſitiſſimis ſuperiores fuiſſe pro Chriſti nomine, quod

I 2 con-

confiteri, & mori ſatius duxerunt, quam viuere & negare. Multas præterea æque Virgines, & Martyres ſi pergam enumerare, nec ipſe ſuffecero, nec opportunū, quia notiſſimu n. Quare de hiis nihil amplius, ſi modo vnum adiecero. Hæc Iuſtina fuit Vitaliano Patauorum Rege genita, quæ Beatiſſimi Proſdocimi monitis in fide Catholica ſalubriter inſtructa, quoniam fidem hanc ipſam Maximiani ſuaſu abnegare non ſuſtulit, eius iniquo iuſſu gladio tranſuerberata fidei teſtimonium glorioſa nece admodum puella reddidit. Ipſe autem Beatus Proſdocimus, in Chriſti militia centum & tredecim annos impleuit, primum apud Apoſtolorū Principem, quocum ex Anthiochia Romam commigrauit, per ipſum deinde principem annorum viginti factus Epiſcopus legatione ad regnum Patauii ſuſcepta tres & nonaginta in Epiſcopatu annos menſem vnum dies quindecim vixit. Vbi non tantum illius regni incolas, ſed & vicinarum vrbium plurimarum fide auxit, Vir in omni vita ſanctus, quique terrena quæque peſſundedit, ut immaculatam ſeruitutem exhiberet Chriſto Domino: pro cuius nomine incredibilia pertulit. Quas auſteritates? quas perſecutiones? quos terrores? quot opprobria? Nam vigiliarum conſtantiam, crebra ieiunia, perſeuerantiā in orationibus, in prædicationibus, in doctrina quis referat? Vitam eius cum legimus (ſcripſit eam Beatus Maximus in Epiſcopatu ſucceſſor) perfundimur ſtupore, ut vix credamus, ac rubore, quod non itidem ipſi faciamus. Hunc tamen ex noſtris aliquot imitati, quorum fama perobſcura. Sed id quod conſtat Daniel Leuita, & huius etiam nomen pluribus ſeculis latuit, quoad ab Etru-

ſcis

ſcis oris cæcus aduenienſ, vocē e cœlo ad ſe factam ait, ut ad Iuſtinæ, & Proſdocimi templū, quod hac Vrbe Patauo eſt, properaret; vbi Danielis Martyris eo templo quieſcentis interuentu viſui redderetur, & huic cùm dicerent nullum hac appellatione Martyrem ibi eſſe, nihilominus viſioni confidens perdius, & pernox in eccleſia perſtabat: inde ad aliquantum temporis ei ſoporato vox inſonuit, viſum ei reſtitutum interceſſióne Danielis, cuius oſſibus ſupercumberet, moxque factus vigil, & videns miraculum prodit, & huius ſuaſu terra defoſſa, corpus inuentum inter duas tabulas, marmoream alteram, reliquam ligneam pluribus in locis ferro traiectam, atque ad caput literæ Martyris nomen indicantes. Sed ut redeamus ad Proſdocimum, cum ex vnius Proſdocimi vita, quod non idem molimur erubeſcimus, quid facere debemus, aliorum prope infinitorum in omni ſexu, in omni ætate Martyrum, Confeſſorum, Eremitarum vitas, & geſta relegentes. Quæ etenim horum in virtute conſtantia? Qui in contemnendis mundi illecebris animus? Quis vigor in ſpernendis Principum fidei reſiſtentium minis? Quæ tolerantia in tormentis? Quæ æquanimitas in opprobriis? Imo quæ lætitia? quod gaudium? quæ exultatio? Gaudent enim cum Apoſtolis, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu perpeti contumeliis. Quam ob rem, ut & ipſi gaudeamus, curandum nobis hos qua poſſumus imitari: poterimus autem, ſimul ac voluerimus. Volenti nempe nil arduum. Hoc itaque haud difficile fuerit mox ut cœperimus delectari, de his audire, legere, cogitare, confabulari, laudare ipſos, admirari, & enim ad imitandum, in quo plurimum adiuuabimur lectione

ctione

ctione voluminis illius, quod Patrum Vitas appellant, eorũ præcipue Patrum, quorum geſta Beatiſs. Hieronymus conſcripſit, non tam ex his quæ audiſſet, quam etiam maxime quæ inſpexiſſet. Cuius ut vbique ſtilus elegans (& quod de Neſtore ait Homerus) melle dulcior oratio, non verebor hic fateri coram Deo, quid in me perſępius egerit illa lectio. nam de inani iactatione quid metuam vera conteſtans? Memini profecto, memini me legentem, & meditantem in huiuſmodi profluuium ingens lacrimarum non ſemel fudiſſe cum eiulatu cum gemitu conſpicientem, & accuſantem deformitates meas, ac delicta in lege Dei, nec tamen interea ſine grandi, ſine mira & inenarrabili dulcedine. Tu Deus noſti, quod non mentior. Dulcedine inquam omnium maxima, qualem nec vnquam antea, nec item poſtea in alia quauis iucunditate, niſi in illa repetita ſum expertus, aut eandem lectionem, aut aliam ſimilem ex opuſculis Sanctorũ, quæ multa ſunt, manu ſumens, & in ea meditans; imo potius in te Deus meus. At dulcedo illa in quo, & ex quo? Quis nouit niſi tu, qui ſecreta cordium rimaris? Et quem non latet omne ſecretum? Aperi tu domine cor meum, ut enarrem tua mirabilia, nonne lætabar? nonne gaudebam? nonne exultabam? nonne ſuper me efferebar? Et vnde hoc? Nihil enim quod videretur, quod ſentiretur, aut perciperetur iucunditatis aderat. Vnde igitur? Ex nihilo? Quis ita inſolens, ut dicere audeat? aut ita demens, ut ſentiat, & credat? Vnde igitur? Ex lacrimis? ex fletu? ex gemitu? At hoc quàm abſonum, ut eadem res & mæroris teſtimonium ſit, & nihilominus cauſa lętitiæ. Vnde igitur? Niſi

ex

ente, & in te Deus meus, ſpes mea, ſalus mea, & omnium in te ſperantium. Nimirum ideo eſt illa dulcedo mera, & inenarrabilis, ut quæ præ ſe fert, atque in ſe repręſentat effigiem futuræ cœleſtis beatitudinis, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. De qua cùm meditamur, cùm ſperamus, dulceſcit in nobis neſcio quæ ſuauitas humano ingenio inexcogitabilis, multo itaq; magis & ineffabilis. Ad hanc abductis nobis vileſcunt omnia, quæ iucundiſſima putantur, ut diuitiæ, ut potentia, ut honor, & reliqua id genus, deſplicent vicia, placent virtutes, placet honeſtas, pudor, caſtitas, ſanctimonia, peraguntur denique in nobis omnia, quibus paulo antea diximus humanam in terris conſtare beatitudinem; nec ab re peragantur, quia mox ut odimus vicia, virtutes nobis ingenerantur, utpote corde mundatis. Ingeneratur ergo, & ipſa felicitas. Et hoc Stoici ſentiunt, Peripatetici cenſent, affirmant Catholici præceptores, & quod omnium maximum eſt, atteſtatur Legislator, & Redemptor noſter, eos aſſerens beatos, qui ſunt mundo corde, vbi & beatitudinis cauſam inſeruit, quoniam ipſi Deum videbunt.

Confutatio negantium æternam Felicitatem. *Cap. IX.*

F. Quæ vera in terris beatitudo ſit vides, vt ſcilicet ſimus mundo corde. Sic enim Beati ſumus, non omnino tamen dum in mundo peregrinamur: ſed beati ſumus, quatenus mortalem agentes vitam ſufficimus amplecti; beati quidem ex ea ſpe, quia ſoluti contagione terreſtri Deum vide-

videbimus Quam ſententiam cum perſpicias eſſe non tam noſtram, quàm vniuerſę Catholicę Fidei, nec humanitùs, & mortali ingenio adinuentam, ſed diuinitùs, & ore Saluatoris proditam, quid amplius quærendum aut diſputandum? D. Nihil ſane quod attinet ad nos, qui fidem profitemur. Eorum enim quæ fides aſtruit aut Redemptor aſſeruit hæſitare infidelitatis, & rationem exquirere præſumptionis. Cùm vero diſputationẽ hanc ſuſceperis etiam ad alios, videntur illi refellendi qui Deum eſſe non tantum dubitant, imo pernicioſo auſue etiã negant. F. Quo me vocas? In quẽ apicem? cuius anfractus? cuius inuolutionis, ac periculi? Quod ſi tentem, dicendum mihi ſit cum Marone:

Maior rerum mihi naſcitur ordo,

Maius opus moueo.

Nã hęc ipſa res ſua volumina ſola expetit, ut tamẽ tibi morẽ gerã, quia etiã ad rem nonnihil attinet, parumper attingã, magis ut hi confutentur, quã ut ineatur diſputatio. Horum igitur qui ſic non loquuntur, ſed garriunt, aut potius impiè loquuntur, duo genera habentur. Primum eorum, qui dulcedine mundi voluptatum allecti, & tanquam cœno obruti nihil ſapiunt non terrenum. Aliud genus ſonge peruerſius diſputatione molitur in eam inſaniam, ut affirmet nullum in cauſis finem eſſe. Et de primis quidem nil mirum ſi ingenio ita oblito corporeis bonis, ut & ipſum, ſi fieri poſſit fere corporeũ ſit, nõ concipiant incorporea. Fiunt enim ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus Itaq; conferantur iumentis incipientibus, & illorum quam hominum ſimillimi fiunt. Quapropter in eis obtunditur mentis acies, ut non aliter atque ſentiunt intelligant. Qualis adeo

quiſ-

quiſque, taliter & intelligit & ſapit. Nihilo igitur magis quam equus, quam mulus, quam iumenta de Deo cogitant, cogitant inſipienter. Dixit enim inſipiens in corde ſuo. Non eſt Deus. Et recte inſipiens. Dic infelix: ſi Deus non eſt, vnde tibi, vnde cunctis viuere? Qua vi continuo motu ſphæræ cœleſtes qua Sol, qua Luna, planetæ cæteri tum ſphęrarũ, tum proprio & aduerſo motu rotantur? Quis iacet fulmina? Quis tempora regit? Quis digerit anni varietates? Caſu fieri putas quæ ordine tam certo ducuntur? Reſipiſce, ut ſapias, ut agnoſcas, & intelligas, quia Domini eſt terra, & plenitudo eius orbis terrarum, & qui habitant in ea. Ergo rerum ſuarum homo in paucis potens gubernationem habebit, & non dominus omnipotens ſui orbis? Aiunt porrò iſti, nihil referre ſit Deus, an non ſit. Fieri enim poſſe quod ſit Deus, nullam tamen ex ea re beatitudinem hominibus contingere, fruſtraque eſſe ſpem illius eternæ beatitudinis, & viſionis Dei, quod nec poſt hanc vitam reliquum ex homine ſit niſi puluis & cinis. Hanc vero perniciosiſſimam aſſertionem ſuperiora refellunt: in quibus pro confeſſo reliquimus humanam animam non ſenſualem eſſe, nec corruptibilem, ſed cœleſtem, & æternam, quã inſuper perniciem irrident & fabulæ poëtarum. Quid Elyſii campi? Aliudne indicant, quã alterius vitæ beatitudinẽ?

Exinde per amplum
Mittimur Elyſium, & pauci læta arua tenemus.

Quæ arua læta tenent, ſi ut dicitis nil tenent, ne ſe quidem? Pudet amplius inſiſtere. Quia nec decet inter Catholicos ea diſputare, quæ in ſacro Baptiſmate profitemur. Quale hoc de reſurrectione, ac de æterna vita,

K in

in quibus tota vis Catholicæ fidei tanquam in ſolido fundamento conſiſtit. Nam hæc ſi tollantur, quis eſt, qui gratis velit eſſe catholicus? Centuplum accipietis, & vitam eternam poſſidebitis Hoc omnium credentiū præmium, hæc tota ſpes, hic laborum portus & requies. Hæc ſimul, ut amoueris, prorſum concidet omnis fides: pro qua cùm orauerit redemtor ne deficeret, quid in hac re vltra cedimus ſermones? Ac medius fidius, ſi fides non eſſet, ſi Philoſophi multi qui de immortalitate animorum, deque eorū æterna beatitudine præclaris voluminibus docuere; ſi hi inquam Philoſophi omnes amouean tur, tamen cogitare humanam animam eſſe mortalem, nec meritorum aliud præmium alibi, nec demeritorum pœnam quàm huius vitæ, fœdiſſimum eſſet, & a ſapiente alienum, ac hominis dignitate penitus indignum. Qua de re contemtis inſipientibus illis, qui terrena tantum ſapientes hominem opinantur iumento non abſimilem, nec niſi terrenam aſſecuturum beatitudinem. Fuit hoc primum genus aduerſantium his, quæ paulo antea de felicitate diximus. De ſecundo genere videamus. Erat hoc eorum, qui diſputant nullū in cauſis eſſe finem; itaque non eſſe Deum.

Diſputatio aduerſus eos, qui negant Deum eſſe, ullumue finem in cauſis. Cap. X.

F. Quid ergo iſti, quid aiunt? Deum ideo non eſſe, quod non & malum non ſit. Eſſet enim Deus infinitum bonum. Non igitur malum eſſe poſſet: quia quod infinitum eſt, quicquid ei aduerſatur omnino non ſuffert. Quid autem magis aduerſum quam bono malum? Rurſus

ſus, quæcunque ſunt, aut eis principium natura, aut ratio, ſeu propoſitum, ſeu voluntas. Nihil procul dubio in rebus cernimus, cui vel animo & opera hominis, vel ipſa vi fœcundæ naturæ non præſtetur origo. Hinc fruſtra relinquitur quodque aliud principium. Fruſtra nempe apponi plura, cùm pauciora ſufficiunt. Sed & natura nihil fruſtra eſſe. Ad quid itaque Deus? O inanes traiunculas; O perniciofas ambages, O pedicas funeſtiſſimas! Sic deſipitis? Sic inſoleſcitis? Sic adeo inſanitis? Nec eſt aliud, quod vos vrgeat? Non vero vos hoc, ſed præſumtio, ſed temeritas, quia videmini vobis ſapere: nec pudet ea docere, quæ neſcitis, imo quæ ſcire eſt impoſſibile. Nunquid enim quæ cognitione carent, ſe ipſis in certum, & tanquam cognitum finem ferri poſſunt? An ſagitta ſponte ſua, & non potius a ſagittante dirigitur, ut petat, quæ ſibi præfinitæ ſunt, metas? At naturalia corpora notione vacua in finem ſuum moueri nemo non videt, ſemperq; aut frequentius in id quod optimum tanquam non caſu, ſed certa intentione ducantur. Quæ cognito eſt qua ducantur, qua moueantur, qua promoueantur, ignoratis? Attamen tergiuerſamini, vel potius inſulſe famini, inſtinctu & natura hæc fieri. Sed tamen vnde hæc natura, aut a quo inſtigantur? Hic hæretis, & muſſatis Nos incunctãter dicimus a Deo fieri, a quo omnia prouidente, intelligente, cognoſcẽte in ſuos quoſq; finis naturalia quæq; diriguntur. Amplius, ut Phyſicis omnibus probatur, quicquid mouetur ab alio mouetur. Quod nihil eſt aliud, quàm quod eſt in potentia, diſpoſitione, aptitudine, per ens actu de potentia in actum, ideſt eſſe completum, educi. Sic ignis actu calidus lignum aut aliud habile in-

cendi potentia calidum mouendo & incendendo efficit actu calidum. Se ipſo autem eodem & modo & reſpectu mouere non poſſibile. Nã ita idem eſſet mouens, agens, ducens, & quod mouetur, agitur, & ducitur. Eſt igitur aliquod a nullo motum, & idem, per quod omnia mouentur; alioquin in infinitum abiretur, & ita moueretur prorſus nihil: quoniam quod ſecundo mouet, non alio mouet, niſi quia motum, & a certo mouente. Sic ducitur freno equus, quia manu frenum. Ergo ſi deſinat primum mouens, motus omnes tolli neceſſe eſt. At ſunt motus: itaq; & id quod primo mouet; quod dicimus Deum. Quorſus rapimur? Videmur enim diſputando propoſitis aberraſſe, quoniam non diſputare, ſed confutare inſtitueramus. Quanquam igitur ſint alia multa, quibus conuincitur, Deum eſſe: nos tamen vela, ut in re notiſſima nec iam amplius diſputari indiga, contrahamus. Nam ſicut in rebus dubiis, in quibus ſapientes diſsentiunt, multum ſtudii, temporis, diligentiæ ſermonis apponendum, quo veritas eliciatur: ſic nihil aut parum in notioribus, & in quibus conueniunt, licet improbi, pauci, & contentioſi refragentur. Hinc illud, cum litigioſis minime diſputandam notum omni ſchola prouerbium. Eorum itaque, qui contendunt Deum non eſse, obſoleuit oratio, nec tam ſapientibus, quam & quibusq; mulierculis improbatur. Nec eſt gens tam barbara, tam effera, tam immanis, cui non inſideat Deum eſse vnum & primum ens, a quo ceterorum omnium eſse dependeat. Nam quod inquiunt ideo non eſse Deum quia ſit malum quod non eſset, idem eſt, ac malum ita Deo oppugnare, ut boni nihil conficere poſſit ex malo. Quod longe eſt aliter. Sua-

nam

namque omnipotentia infinitaque bonitate vel de malo, bene facit. Igitur eius ſummæ beatitudinis ſuum eſt, quo de malis eliciat bona, mala ſinere. At enim Deus fruſtra ponitur. O verbum ſtultiſſimum,& vltione dignum. Fruſtra cur? Quia rerum principia ſint,aut natura, aut propoſitum ratio,ſeu voluntas. Sed illam naturam,ſi cognitione vacat,nonne oſtenſum eſt ei,ut in ſuũ finem non caſu prodeat, opus eſſe notitia dirigente? At quæ obſecro illa notitia,niſi Deus,qui nihil omnium non dignoſcit? Propoſitum autem,ratio, ſeu voluntas, quoniam ut in homine ſunt non neceſſaria, ſed mutabilia ſunt,expedit ab aliquo per ſe neceſſario dependeant.Nam quæcumque mutabilia quando non fuerint, ſic ne nunc quidem eſſent, niſi alterius ope intercedente: quia quod non eſt, eſſe ſe ipſo nequit incipere. Aliud igitur antecellit; nec id incertum: quoniam in efficientibus cauſis ſeries quædam dignoſcitur, ut primum medii,poſtremi medium cauſa ſit: nec in infinitum ſurſum in cauſis tendere potes; quia cum cauſa poſita proſiliat effectus,ſublata remoueatur, ſi non ſit cauſa prima,non erit effectus,vltimus,nec cauſa media vlla erit. Hæc autem non vera. Prima itaque eſt,eademque Deus eſt: & ab hoc tanquam per ſe neceſſario principio noſtra voluntas,ab eodem tanquam ſummo bono noſtra,ut ante concluſimus,pendet felicitas. Plane quoniam Deum in humanis agentes intueri non poſſumus niſi ſub ænigmate,& velamine, quatenus eum in his recognoſcimus quæ facta ſunt, veluti cauſam in ſuis effectibus,enitamur abducere animum a ſordibus, ut terrena non cogitemus, quia placeant illa, ſed in illis Deus. Ita ſapientes erimus: ita beati Sapiens enim quiſque

que beatus. Ac de his,qui ſapientes habentur, nihil verius quàm quod aut felices aut non ſapientes. Nempe ſapiens quiſque Dei amantiſſimus, ergo & beatus. Qua in re nimium erratur:quia plerumque ſapiens exiſtimatur iniquus, quia ſubdolus,quia aſtutus, quia verſipellis.Tantum autem abeſt hic a ſapientia, ut non magis lux a tenebris Nam quî fieri poteſt ut in eo ſit ſapientia, in quo ne aditus quidem ullus, nec oſtium eſt ſapientiæ, quo introeat? Bene Salomon: *Animam malruolam non introit ſapientia.* Cur id? Ea re profecto, quia malus omnis ſui disſimilis; proinde ipſius quoque cogitationes variæ. Quo pacto igitur, qui ſecum non conſiſtit, difficilia, in quibus perſeuerantiſſima cogitatione opus eſt, diligenter perſpiciet, aut conſtanter prouidebit, & peraget? Itaque nonnullos tales vidimus ſapientes, ſed malos iudicatos, qui vbi ad res arduas prouidendas ventum eſset, ſuam detexere nuditatem, nō eſt etiam vnde hos felices exiſtimemus, etſi fortunis ad ſummū affluant. Illis enim, ut oſtenſum eſt, non comparatur beatitudo. Sed nec iniqui fortunis diu fruuntur. *Vidi impium eleuatum ſicut cedros Libani: tranſiui & ecce non erat, nec inuentus eſt locus eius.* Sic Pſalmographus vidiſse ſe ait. Sed & ipſi ſæpius intuiti ſumus horum citos exitus, & infelices. Ita in quo ſumme laborandum viro gnaro, ut feliciter, iniqui crebro infeliciſſime obeunt. Nec iniuria. Neque enim meritus eſt bene mori, qui male vixerit. Quam ob rem in pluribus vidi, & ſepe vſurpo: hominem quemadmodum vixerit, ita & emori. Hoc de luxu perditis ſupra oſtenſum, quam confeſtim, quam turpiter, quam infeliciter obeant. Hoc & de tyrannis oſtēdimus, quod & de quibuslibet ini-

quis

quis quotidie palam eſt. *Viri* enim *ſanguinum non dimidiant dies ſuos*: vt in Pſalmo. Nec vero quoad viuunt beati ſunt Quia, ut diximus, ſecum non conſtant. Inquieti autē ſunt, cùm ob multa, cùm id maxime, quia vruntur fortunis bonorum, quibus factis ſæpe, verbis ſemper inſultant. Iuſte igitur natura prouiſum, ut dum impii bonos laceſſunt, ac lacerant, magis ipſi ſua impietate, quá eorum oppugnatione boni plectantur. Gaudent quidem potius hoc iuſti, cùm eis nullum maius probitatis teſtimoniū afferri poſſit, quàm improbis eſſe odio. Ita igitur gloriam iuſtorum impii non boni labefactant, ſed exaugent. Sed nec de vltione malorum boni diffidunt, certi quod fallere verbum Dei non poſſit, qui ait: *Mihi vindictam, & ego retribuam*. Retribuit autem impiis in hac vita, & in futura. In hac gratiam ſuam ab eis ſemouet. Cor enim impiorum a Deo longe eſt. In futura non tantum gratiæ ſubtractione, ſed & pœnarum æterna condemnatione mulctat. Retribuit & iuſtis, quibus aſſiſtit in hac vita. Diligit enim iuſtos, tum maxime in futura, cùm inquiet: *Venite benedicti, percipite regnum.* O felicem vocem! O retributionem ineſtimabilem. O diem deſideratū, & fauſtum. Tum enim Deum, quo hic in creatúris & in ænigmate, ibi in ſe ipſo creatore, & reuelata facie fruentur. Beatitudo quæ hic dubia, ibi certa: hic ex parte, ibi perfecta: hic temporalis, ibi æterna. Et de ipſa quidem temporali hactenus: de æterna ſequenti volumine diſſeremus.

FRAN.

FRANCISCI ZABARELLÆ DE FELICITATE

LIBER TERTIVS.

Proœmium. Cap. I.

E. Litterati quamplurimi Petre Paule ſuorum quiſque temporum defleuit inertiam atque infelicitatem. Id atteſtantur eorum volumina, quibus fere omnibus priora tempora laudibus compleuere, ſua exſecrationibus. Horum dicere ſoleo lacrimas inanes falſamque exiſtimationem. Nec id ſermone tantum, verum & ſtilo tentaui libello quodam, opus tibi & multis (quoniam prodiit) non incognitum. Difficile tamen videtur, arcere ſermones huiuſcemodi, qui etiã non tã inter literatos crebri quã & inter indoctos, maxime ſenes. Eſt nempe quiuis ſenex, ut Flacci verbo vtar:

laudator temporis acti
Se puero.

Et vero ſic eſt. Horum quiſque neque declinatum quenquam ab aliorum ingenio reperias. Quem ſermonem alio loco fouet idem Flaccus:

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Sin conuerterimus animum ad annales, ante duo annorum-

rum millia videbimus illa tempora nihilo noſtris feliciora. Reparantur enim tempora pereuntia conſequentibus. Itaque idem Flaccus:

Damna tamen reparant celeres cæleſtia lunæ.

Atque ut adeamus fabulas, ipſi quoque homines pluries renaſcuntur. Ergo de animabus functis vita ſic Virgilius:

Has omnes ut mille rotam voluere per annos
Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno.
Scilicet immemores ſupera ut conuexa reuiſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reuerti.

Vtcunque tamen de hac temporum controuerſia. Tum enim hic non attinet, tum quod ſentiremus illo explicuimus libello. Illud vero conſtat, eloquentiæ ſtudia noſtra ætate refrixiſſe, ac pæne concidiſſe. Eſſetque hoc cum aliis multis noſtris detrimentis minus intolerabile, niſi cùm hæc ſtudia corruiſſent, in quibus erudimur, non de numeris, cubis, aut alterius modi, nõ de lineis, paralelis, aut interſecantibus Hæc enim & huiuſcegeneris non defecere ſtudia, quæ quanquã ſint libero digna, cõſtituendæ tamẽ hominũ vitæ nihil adjiciunt, vnde fiamus meliores, aut certe minus mali. Sed ea defecere, quibus admonebamur vitia fugere, ſectari virtutes, atque ad maiora genitos, quam ut arbitremur humanam beatitudinem conſtitutam in fortuitis: in quibus ſi quid boni, nihil omnino amplius, quàm hæc ipſa liceant a mortalibus. Igitur beatificari homines quî poſſunt his bonis, quæ ipſi beatificant? Ab hac illorum ſtudiorum deſertione conjicito, quam non facile ſtudia tam inculta, tam neglecta tete nullo tradente ingredi, quæ conſequi difficile ſemper fuit, etiam cùm vigebant, multis quoq; præmõ-

ſtrationibus. Ea res diu me ſuſpenſo tenuit animo, dum cogitarem ad duo anteriora volumina: metum tandem euicit deſiderium. Cœpi igitur fretus aliquot præclaris au-ctoribus, qui de rebus, de quibus in voluminibus illis, conſcripſere: quos licet imitatus non ſim, multa etiam indicta omnibus proſecutus, nonnihil tamen illi contulerunt in audendo iter iam aliis tentatum. At quæ res differendæ reſtant, de his rebus ſeriatim nemo quiſquam: maria vndique, & vndique cœlum. Altum nempe & inſcrutatum pelagus. Et nos qui ſumus, ut tantum de nobis ſpondeamus? Præcipue cùm ea ſit agenda res, de beatitudine ſcilicet æterna, in qua re multitudo ſentit inanem curam eſſe. Nec enim humanæ poteſtatis eſſe, ſuſcipiamur ad gloriam, an vero præcipitemur in gehennam. Fato ineluctabili id conſtare. Quid nobis eventurum, ab æterno Deum providiſſe, quod providiſſet non poſſe non fieri. Itaque fruſtra in hoc eſſe accuratos. Hunc vero ſermonem, etiã inter doctiſſimos frequentem in Libro de Prouidentia, & Fato diſcuſſimus, vbi quantum videmur hæc ſuſtulimus. Quod nunc igitur attinet illa, pro certis conſtituamus, ſapienti non minimam, ſed omnium maximam curam habendam, ne ſuo reatu in æternum damnari dignus, ſed ſuo merito ſaluari non indignus, apud infallibilem ſpectatorem iudicetur. Ad hoc ſuadendum cuique Chriſti nomine glorianti perpaucis opus eſſe debet, ſcientibus nobis quod Saluator ait, nihil homini prodeſſe, ſi mundum lucretur cum animæ detrimento. Aut ergo nihil omnino ſoliciti erunt, niſi de vna æterna ſalute: aut erit inter alias curas hæc præcipua & ſumma cunctarum: ita ut, ſi res exigat, opes, honores, po-

ten-

tentia,& quæque iucundiſſima huius vitæ, hanc ipſam denique vitam pro vera vita, æterna gloria, poſt habeant. Sicut autem ad hanc comparandam ſummo nitendum ſtudio, ſic ad præcipiendá,& intelligendam nó minori: quod nec aliter poſſit acquiri, niſi intelligatur, nec niſi ad id ſtudeatur intelligi. Quo igitur percipiamus, intelligamus, ac conſequamur, ducimur nimio deſiderio de hac agendi, de hac loquendi, diſputandi, conſcribendi. Sed terremur & pęne retrahimur, cùm rei magnitudine, tum & ſolitudine intentati itineris. Nam, ut ante diximus, nemo de re hac dignum aliquid, quod ad nos peruenerit, conſcripſit. Quam ob rem agi oportebit, ut dicitur Marte noſtro. Verum quid eſt quod poſſit nos non modo terrere, ſed ne remorari quidem? Quando ſermonem diuinum enunciantibus Dominus dicat non eos eſſe qui loquantur, ſed Dei ſpiritum, qui per eos. An vero Deo aliquid arduum aut difficile? Timore itaque ſeorſum poſito, ſumma cum fiducia de re ipſa dicere incipiamus.

Dialogus introducens Materiam Libri Tertii: & quod beatitudo cæleſtis eſt Deum intelligere, tenere, frui. Cap. II.

F. Præſcribe nunc vnde nos ordiri velis? D. Vt quamprimum expedias, quot ex rebus,& quibus conſtet æterna beatitudo. F. Tribus: Deum intelligere, tenere, frui: proinde beata anima, quæ Deum intelligit, tenet, ac fruitur; nec poteſt aliud eſſe præter extra, ſupra, vel infra, quo fœlices reddimur. D. Teneri Deus quî poteſt, quem dicimus

incomprehenſibilem? F. Si teneri, ſi comprehendi nõ poſſet, fruſtra Apoſtoli monitio, qua cohortatur ita nos currere, ut comprehendamus. Comprehenditur autem Deus a beatis, ac tenetur, dum Deum, nullo medio, ſed ſe ipſo, & vti eſt, intelligant. Quid enim aliud apprehendere, niſi aſſequi? Sic athleta victoriæ palmam: ſic quiſque quod ſperaſſet, vbi conſequitur, pariter & tenet, & comprehendit. D. Non eſt igitur Deus incomprehenſibilis F. Imo. D. Nunc comprehendi poſſe dixiſti: comprehenſibilis ergo, & incomprehenſibilis. Sed non hæc aduerſantur? Itaque dum ſoluere niteris, abſurdum adauxiſti: male autem ſoluit, quiſquis multiplicat inconueniens. Acutum res hæc expoſcit ingenium. Quamobrem diligenter aduertito, ut agnoſcas ſuo modo Deum comprehendi, nec tamen ideo non eſſe incomprehenſibilem. Principio illud, vnumquodque prout actu eſt, ita & cognoſcibile eſſe. Quod enim potentia tantũ eſt, id quod necdum eſt non etiá cognoſci poteſt. Omnium vero principium Deus non quandoque potentia, quandoq; actu eſt: alioquin eſſet alio tempore quam alio perfectior. Nam quod potentia tantum eſt, cùm in actum educitur, tum & perficitur. Quod ergo omnium primum, quoniam ſemper perfectum, ſemper & actu eſt. At & infinitum eſſe nemo diffitetur, Itaque & infinite cognoſcibile eſſe. Sed quid eſt quod infinitam capere notionem poſſit, nonne vnus Deus? Cetera quia finita notitiam non ſuſcipiunt infinitum. Soli ergo ſibi & nulli creaturæ Deus comprehenſibilis. Iam vides quare incomprehenſibilis: nunc aperiamus, qua ratione ſuo modo comprehendi poſſit. Beati nempe Deum vident, & intelligunt,

gunt; & ſi non quantum intelligi poteſt, quantum tamen ab ipſis poteſt. Ita ſi ſpectes quod intelligitur, agnitio non ex toto eſt; ſi quod intelligit, nulla ex parte deeſt; & ita ſuo modo plena eſt, hocque ordine creaturæ creator comprehenſibilis. D. Nonne quod cognoſcitur id in cognoſcente receptum ſit oportet? Nec vero niſi iuxta cognoſcentis menſuram recipi poſſe. Si quid itaque eſt quod cognoſcentis modum excedat, quia illud non poſſit in cognoſcens admitti, conſequenter nec ab illo cognoſci. Maior autem quam inter creatorem, & creaturã quis exceſſus? Nihilo tamen ſecius a creatura creatorem vis agnoſci. F. Haud quaquam ruditer hoc, nec minus vere quàm perſpicaciter Plane enim aſsentior cognitionem illam natura fieri nõ poſse. Sic tua ratio conuincit: eadẽ tamen nihil vrget, quin ex gratia. Nam quod ad naturam attinet, cognitionem ſemouet, ut ipſe dixiſti, nimius inter cognoſcens & cognoſcendum exceſſus. Si quidem creatus intellectus, ſiue humanus, ſiue Angelicus, eſſe non habet, niſi quantum illud ab diuina participat eſſentia, a qua, ut eſt apud Ariſtotelem, communicatur omnibus eſſe, & viuere, quibuſdam clarius aliis obſcurius. Ipſa vero Dei eſſentia ſuum eſſe eſt. Ob hanc differentiam atque adeo ob tantam eſſentiæ Dei præcellentiam ſurgit, ut eam creatus intellectus non amplecti, non capere, & ita nec alio non adiutus agnoſcere poſſit. Iuuatur autem ad hanc agnitionem ex Dei gratia, quæ naturam attollit, in eam fuſo lumine per eum, qui fons eſt vitæ, in cuius lumine, ut ait Propheta, videbimus lumẽ, & hoc ipſum lumen gloria & beatitudo noſtra eſt. Eleganter Apoſtolus: Gratia Dei vita æterna.

Si una eſt beatitudo cæleſtis, cur ſciunguntur tria illa, Deum intelligere, tenere, frui: & gloriam beatorum non eſſe in omnibus parem, tamen alium alii non inuidere.

Cap. III.

F. Roget hic quiſpiam, ſi Deum a beatis teneri eſt, ut paulo ante diximus, idem atque Deum intelligere, cùm præterea quiſquis Deum tenet, hoc ipſo pariter & fruitur: quid tria illa Deum intelligere, tenere, frui, ſupra ſeiunximus? Quam hæſitationem collatione promptum vnde diſſoluamus. Si quis enim quid intuetur, quia oculorum objicitur aciebus, hic ut videat non continuo tenet quod inſpexit, atque ſi teneat, tenendi tamen ſecuritatem ideo nó habet: nec, ſi euenit ut tuto teneat, eo ſemper delectatur & gaudet. Ad experiundam igitur plenam beatorum felicitatem tria illa poſita, quoniam beati Deum vident, ac videndo certi & cum ſecuritate tenent. Vnde in Canticis ſponſa de dilecto: tenebo eum, nec dimittam. Tenendo autem Deo fruuntur tanquam vltimo fine, quo cuncta perficiuntur deſideria. Inſuper quod ad homines ſpectat, tria iſta, viſio, detentio ſeu ſecura poſseſſio, ac fruitio tribus virtutibus correſpondent, quas Theologicas vocant, fidei, ſpei, caritati; fidei viſio, poſseſsio ſpei, fruitio caritati: eadem quoq; tria dona dicuntur ſeu dotes animæ felicis. Ideo nimirum ſi tribus his conſtat, ut diximus, beatorum conſummata felicitas, in Deo ſane perfectio conſiſtit creaturæ rationalis, cui etiam principiú, ut prædiximus, eſt eſſendi: eo vero quidq; perfectius, quo propius accedit ſuo principio:

quas ob res Anima rationalis, quod in ſe eſt inquieta, ſemper & anxia, ut terminos accipiat, ut quietem, in diuinam eſſentiam figat aciem neceſſe eſt; vbi ſuo in vltimo, & certo principio, ante quod nullum, ſua & omnium prima cauſa, ſupra quam nulla, ſuo vero & certo fine, præter quem nullus, conſtituta non poterit non quieſcere, non lætari, non eſſe tranquilla. Torquebitur fortaſse penuria ciborum, ſiti ardeſcet, rigeſcet frigore, calore ſoluetur, ignorabit quæ ſcire cuperet; ad ſummam, multa deſiderabit. Quid vero minus eſt credere? Nam cibis, & potu, aut quo frigus pellitur tegumento beati nihilo plus quàm Angeli indigebunt. Erunt enim, ut ſcriptũ eſt, ſicut Angeli Dei. Porro ignorare quid, qui poterunt, qui videntem omnia videbunt? Videt quippe Deus omnia, cùm ſit artifex omniũ. Nam mundum, & quæ in mundo ſunt quæque conſtituit, nec a caſu hoc, ſed ex intelligẽtia. Hoc fit, ut ſicut in artificis mente rerũ quas fabricat imagines ſunt, ita etiam nõ modo quæ facta, quæue futura, ſed & quæcunque fieri poſſint, horum omnium ideæ ſeu rationes æternæ in Deo, quemadmodum & imagines in ſpeculo refulgeant: & his ideis agit omnia Deus, ac dignoſcit: eiſdem vero beati in Deo cognoſcunt non omnia: ſic enim totã diuinæ eſſentiæ vim creatura, quod ſupra negauimus, apprehenderet: ſed ea cognoſcunt, quibus ſciendis creatus intellectus, ut perficiatur, afficitur. Ea ſunt ſpecies & genera rerum, & rationes earum, quas in Deo ſpeculantur. Singula vero quæque tum facta, tum quæ cogitari, quæ fieri poſſint, intelligere, perfectio creati non eſt intellectus, qui etiam deſiderio naturali, ut hæc intelligat quæ in eo non poſſunt vlla concipi ratione,

non

non contendit. Itaque nihil ideo minus, quia iſta non intelligat, impletum eſt eius deſiderium: alioquin beatus cenſeri aut eſſe non poſſet. Si quid enim beatus deſideret, non iam beatus, quoniam beatitudo quies eſt, aut non ſine quiete: deſiderium vero cum anxietate. Tribus igitur illis, quæ beatitudini fuerant obiecta, tanquam per quæ beatitudo minueretur, beati non vrgentur, neque rerum inopia, nec ignorantiæ caligine, nec optatorum deſiderio. D. Quid illud? Parne beatorum gloria? Nam ſi impar, ut dicitur, ſi quē locus habet inferior, nōne ſuperiorē exoptat, quando meliora non expetere, praui cenſeatur concilii, nec affectanti animo bene conſonum. Quod ſi ad alium afficitur, vbi quies? F. Procul dubio impar. Quanquam enim omnes diuinam videant eſsentiam, haud tamen ex æquo, ſed Pauli teſtimonio differunt, ſicut ſtellæ in claritate. Eſt itaque alius alio beatior: at nemo non beatus. Sed nec beatioris ſedem vllus ambit, veluti cuius magnitudinem ſua capere perfectione non ſufficit, cuius rei cauſam apertiorem excipito. Sicuti Philoſophorum optimi ſentiunt, præclare autem ſcriptum eſt ab Auerroe, Deo nulla, quæ in aliquo genere ſit, deeſt nobilitas, nulla perfectio: quia omnium perfectiones entium in eo ſunt nobiliori modo, quàm in ſe ipſis. Aſt fortaſſis nil te tantorum mouet auctoritas: quod quàm honeſte, ipſe videris. Nam probatis auctoribus fidem non accommodare, niſi eſt excellentioris ingenii, parum modeſti animi videtur indicium. Eſt tamen & vnde hoc ipſum ratione fulciamus. Quod enim ab alio cauſatur, quicquid perfectionis in ſe eſt, id in efficiente eſse, multoque a Deo perfectius, quis

ambi-

ambigat? Deum vero cauſam principiumque rerum eſſe omnium, & ſupra docuimus, & ipſe quoque Poëtæ cecinerunt. Præclare Virgilius: *Ab Ioue principium*. Et alibi: *Hominum ſator atque Deorum*. Niſi quempiam occupet Democriti confuſio, quæ productionem rerum ex atomorum, id eſt corporum indiuiſibilium, quæ caſus in vnum coegerit, concurſu exoriri cenſuit. Quo quid incertius, aut maieſtati diuinæ repugnantius? Si eſt igitur Deus omnium cauſa & initium: ſi perfectiones in quoquo genere conſtitutas vnus continet, omnem etiam beatitudinem conſequens eſt in ſe complecti. Quid enim aliud eſt beatitudo, quam intellectualis naturæ bonum omni perfectione conſummatũ? Vel aliis verbis Beatitudo eſt bonorum omnium pro habentis capacitate perfecta & recta poſſeſſio. Et huius beatitudinis conſummationem in Deo ſitam auctoritate rationeq; nunc oſtenſum. Quo tamẽ latius pateat, identidem per omnes beatitudinis gradus, atque omnium ſupra relatas ſententias licet intueri. Quoniam ſi illis aſſentimur, qui felicitatem contemplatione metiuntur, quæ ulla contemplatio cum ea quæ Dei conferri poteſt; qui ſe, qui omnia æterna & certa & præſentanea ſpeculatione contemplatur? Iam felicitates alias, quantum iniquitatis nihil admiſtum habeant, Deum habere quis hæſitet? Diuitias, pecuniam, honores, famam, gloriam, virtutes, timor eſt eſt ne nõ habeat: qui, ut in Deuteronomio legimus, Deus eſt Deorum, & Dominus dominantium. Sed ut alibi, Dominus eſt omnium. Atque hæc omnia tam multa, tam varia, quamquam in Deo ſint, non tamen ut in ſe, vel ut in hominibus ipſa ſunt: ſed ſuo & perfectiori modo, ut ante diximus, quã

M in

in ſe ipſis. Ideoque idem ipſe vnus nihilominus manet, & ſimplex. Sic ſolem vnum cernimus variis differentibuſq; euentibus cauſam eſſe: quos tamen non tam ſol ipſe agit, quàm per eum Deus, qui, ut prædiximus, quæ fuerunt, quæ ſunt, fientue, omnium cauſa eſt & initium: ſupra quod initium cùm ſit nihil, cùm ad ipſum ventum eſt, quid eſt quod amplius deſiderari queat? Quorſus hæc? Nempe, ut illud oſtenderetur, beatorum neminem ſedē beatioris expetere, nec tamen ideo quemquam eſſe non beatum. His enim effectum eſt, ut appareat beatorum felicitatem Dei viſione compleri; in quo & omnis perfectio, in quo etiam omnis beatitudo. Vident autem diuinam eſſentiam beati omnes, non tamē ex æquo omnes. Cuius namq; caritas amplior, is, quia feruore grandiore fertur in Deū, ad deſiderati ſuſceptionē aptior eſt, quàm cuius inferior eſt caritas. Itaque pro modo caritatis participatur gradus diuinæ viſionis. Et hinc varietas felicitatis, dum communicatur unicuique non pariter, at quantū capit. Nec vero quiſquā ibi præter quod capit, aut afficitur, aut cupit. Ordinati quidem ſunt, & Deo conformes eorum affectus, ut nemo niſi quantum ſufficit, niſi quantum Deo placet, ſit affectus. Nemo igitur alterum gradum alteri inuidet: nemo proprio non lætatur. Etſi igitur alius alio beatior, nemo tamen (ita oſtēdendum erat) non beatus.

Obiectio ad præmiſſa, quia videatur beatus, non optando ſedem beatioris, illum præ ſe diligere: & ſolutio. Item Quæſtio, an in illis tribus, Deum videre tenere frui, pariter ſit beatitudo; an vero in horum aliquo principalius.

Cap. IV.

F. Aggerit quæſtio quæſtionẽ. D. Quam? F. Quia nonnullis videtur, ſi beatus beatiori non inuidet, ex hoc illud elici, beatiorem a ſeipſo ſe magis amari. D. Non elicitur? F. Minime, quin & auium eſt a virtute? D. Quam ob rem? F. Quia ſic non ſupra omnia Deus, ut fieri debet, amaretur. Amamus nempe Deum ideo ſuper omnia, quia omnium eſſe ipſe eſt magis, quàm ſinguli ſuum eſſe. Quo euenit, ut vniri Deo beati vellent, ut perficiatur in ipſis, quod ipſis deeſt. Si quem autem quis eorum præ ſe diligat, illum Deo amplius quàm ſe vniri cuperet. Non igitur Deũ diligit ſuper omnia, qui affectu maiori aliud optat, quàm Deo vniri, qui eſt omnia. Beatiorem itaque beatus diligit non omnino magis quàm ſe, ſed magis ſuo modo; quo maiorem illi gloriam vult, perfectiuſque bonum, quàm ſibi: at non affectu maiori ſuam illi, quàm ſuam ſibi. Omnino caritatis gradus nequaquam euertuntur a beatis. Sunt vero gradus, ut primum Deus, ſubinde nos ipſi, hoc eſt noſtra anima, conſequenter proximus, corpus poſtremo noſtrum diligatur. Quibus gradibus recti proficiſcuntur in terris, nec beati ſeorſum in cœlo. Ibi enim natura non exuitur, ſed extollitur; non amittitur caritas, non minuitur, ſed augetur, ſed perficitur, numquam profecto excidit, ut ait Apo-

ſtolus ; ſed cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Ibi vero caritas perfecta, quia gaudet quiſque cùm ſuo, tum & omnium qui beati ſunt gaudio. Gaudium namque ibi omnium commune. Quæris quod? Deus ipſe, qui vnus cùm ſit, omnia tamen, ut in ſacris literis legitur, eſt in omnibus. Mira communicatio : plenitudo ineffabilis: felix impletio. Vnus in omnibus conſummat omnia, qui & in eorum ſingulis eſt omnia. Quid hoc? Omnia. Verbum ſuperexcedit ingenium. Sed ut concipiamus: eſt omnia. Quia ſinguli beatorum Deum vident, qui ut omnium cauſa efficiens, omnes omnium perfectiones complectens, non tam ibi quàm & vbique eſt omnia, quàm ſingula quæque ſimul omnia, ſed ibi præcipue eſt in omnibus omnia : nam implet omnium deſideria omnia. Quàm bene illud. In eo bona per æuum requieſcere, beatumque, qui in eius gloria requieſcit. D. Beatum? Quonam modo? F. Deum videndo, tenendo, fruendo: quibus conſtat, ut ſuperioribus diſſeruimus, beatorum certa & æterna felicitas. D. Tribuſne his pariter conſtat; an vero in hoc efficiendo eſt aliud alio ſuperius? F. Subtilis inquiſitio. Noſtra quid refert, modo beatiores reddamur, nō ſat nobis, ſcire noſtrā in Deo ſitam quietem, iucunditatem, lætitiam, conſolationem, reſpirationem, beatitudinem? Vnde adueniat, quid efficiat, quo conſtet, quid ad nos? tantum ſimus ſine angoribus, ſine triſtitia, ſine inquietudine, ſimus gaudentes, ſimus læti, ſimus felices. Qua de re alia potiora, ſi videtur, conſideremus. D. Quæ iſta ſint potiora audire aueo: prius tamen quod popoſci, neque enim tibi, aſſentior, noſtra ut id ſciamus nil referre. Nam per Dei fidem atque homi-

hominum quid turpius, & confuſione dignius, quàm id ignorare, in quo maxime verſeris? Et quod quæſo aliud, in quo magis anxii, ſoliciti, accurati ſimus, quàm ut beatificemur? Et quo id efficiatur ignorabimus? Quid deinde quid vehementius affligit, quàm cogitatio, dum velis nolis objicitur animo quod dubitas? Et tu in tam graui conſtitutum anxietate me deſtitues? F. Tantum quid te proſpiciat videris aduertere, idque obnixè: quid vero me, nihil aut parum: neſcis inueſtigatu rerum obſcurarum, qualis abſq; controuerſia iſta eſt, quàm obducamur, moleſtemur, afficiamur? Vt nihil experiamur, aut acrius, aut oneroſius, & haud ſcio e duobus vtrum maius, an gaudium de veritate comperta, an anguſtia de percontata. At quia munus quo labore cumulatiori præſtatur, eo ſuſcipienti redditum acceptius, adeoque ut amico faueamus, nulla debemus abſterreri difficultate, eas ob res tentabimus quod expoſcis.

Argumenta pro, & contra: An in ſpeculatione ſeu Viſione Dei, an in frutione ſit beatitudo. Cap. V.

F. De tribus quod ad efficiendã beatitudinẽ potius ſit exquiris: nos de duobus antea diſcutiemus, quibus de tertio facile cognoſcetur. Erant ſane tria illa, Deum videre, tenere, frui: quorum primũ & vltimum conferamus. Num igitur in viſione, ſeu ſpeculatione Dei beatitudo eſt, an in fruitione potius conſtituta? Philoſophorũ diligentiſſimus, & ni Platonis apud auctores probatiſſimos nimium celebrata auctoritas me teneret dicerem peritiſſimus Ariſtoteles quæſtionem attigit, ſed, quod inſolitum ſibi, dicit ſe velle relinquere, nec relinquit tamen: quod verò de ipſo vix credibile,

ile, dubitationem potius auget quàm diſcutiat. Loquitur utem de vita non cœleſti, ſed humana. Quo videri cuiq; oteſt, nobis de cœleſti agentibus illa nihil attinere. Attinent vero plurimum. Eſt enim par in vtraque comparandi atio, ſicut & recte viuendi alterius ad alteram ſimilitudo. Quid ergo Ariſtoteles? Videtur aſſentiri ſpeculationi. Nam cùm dixiſſet Deorum omnem vitam beatam, quod indeſinenter ſpecularentur; hominum eo tantum beatam, quo ſpeculationis eis ineſt ſimilitudo quædam; mox intulit felicitatem ſpeculationem quandam eſſe. Verùm paulo poſt dicit, eum qui Dei amantiſſimus ſit eſſe feliciſſimum. Ita, quam in ſpeculatione ſuperius, nunc in dilectione, quæ eſt ipſa Dei fruitio, beatitudinem conſtituiſſe videtur. Nihil præterea in hoc Ariſtoteles. In alto itaque derelictis aliis ſuffragiis enatare moliendum. An igitur in intellectu, an in voluntate beatitudo? Et hæc nimirum quæſtio cum ſuperiore proxima, in ſpeculatione ſit ne beatitudo, an in fruitione potius, eadem eſt, ut vtriuſque verba non conſonent, & verba, ut videtur, exigua, cuius ortus ex ſeparatione prodiit animæ potentiarum, in quibus intellectus, & appetitus tanquam diſtinctæ potentiæ connumerantur: ut intellectu, quid verum ſit falſumue ſpeculemur, appetitu verò, qui & voluntas, verum illud, quod putamus bonum, aſſequamur, falſum autem veluti malum profugiamus. Sic in beatis aliud Deum intueri, aliud inhærere, amare, frui: primum intellectionis ſeu ſpeculationis, reliquum voluntatis. Quod ergo non in intellectu, ſed fruitione, ex conſequenti in voluntate, conſtituta beatitudo ſit, ex eo videtur, quia perfectior intellectione fruitio: utque vltimus animæ actus, quem

quem præit ut ſibi miniſtrans intellectio eumq; perficiens. Cui vero miniſtratur miniſtro potiorem quis abnuat? Rectè autem ſummum bonum in actu nobiliſſimo conſtituitur. Amplius, quod intellectione dignior fruitio, ex alio quoque euincitur. Nam quod intelligitur, non ſua, ſed eius quod intelligit, ratione in animam ſuſcipitur intelligentis. Voluntas verò nō volentis, ſed rei cupitæ modo, in id quod appetit fertur. eam ob rem peracutè dicitur verū, & falſum. Hæc intellectus obiecta ſunt, in intellectu eſſe bonum, & malum. Hæc obiecta ſunt voluntatis, eſſe in rebus. Planū autē, quod longe dignius, nos in Deum ferri, quàm eius diuinitatem intra nos ſuſcipere: quanto dignior creator creatura: nam & illud ut in nos admittatur, diuinitas agit, ut quieſcamus: quod nos in diuinitatem, id ipſum noſtra eſt quies; itaque & felicitas, & pax noſtra. Poſuit enim Deus fines noſtros pacem: hoc eſt ſe ipſum, & in pace in ipſum requieſcimus. Hæc audientem difficile factu eſt ne protinus aſſentiri. Quoniam tamen & mos habet, & iura ſanciunt, & ratio ſuadet, ante ſententiam partem neutram inauditam linqui, quod ipſum nec omnium conditor prætermiſit, cùm paradiſo exulem protoplaſtum iudicauit: ideo & ea quæ his aduerſantur audienda. Primum illud, non videri beatitudinis eſſentiā conſtituendam (quod nec cōſiſtere poſſit) in voluntate, quod voluntas in finem feratur, quamuis abſit: nec ut is adſit id efficit ipſa, ſed intellectus, qui cognoſcendo fine admouet ipſum voluntati. Vtro igitur horum finem conſequamur ita ut ores ſimus, non magis dubitandum, quam illud, ſi optas aurum, veſtē, gemmas, atq; ut compares impendio ſtudeas, an compos cenſe-

bis

bis id eueniſse, quod deſiderabas? An quia labori, ſtudio, contentioni non parſiſti? Quid deinde, quid illud? Nonne ſolum id perfectum, quod actu eſt, non potentia tantum? Quid vero nos in actu conſtituit? Nempe anima. Sed nec ipſa, ſine medio. Non enim id agit immediate, ut ſimus rationales: quod vnicum eſt eſſe hominem. At id agit ſpeculatio, ratiocinatio, inueſtigatio, contemplatio: hæc nos ſtatuit in actu ſecundo, qui dicitur. Nec verò exiſtimandum, animam, cùm ſpeculari deſinit, in potentia tantum eſſe, quoniam actus eſt humani corporis. Quo autem pacto quod in potētia foret, in actu cōſtituere aliud poſſet? Eſt igitur nō omnino in potētia, attamē in potentia quodā modo: quod & quæuis forma, cū operationē propriā intermittit, ut tunc non propriè forma ſit: imo nec omnino propriè ſit. Nō enim aliud cuique eſſe, quàm in propria operatione verſari. Anima itaque, cùm quod ſpeculetur nihil eſt, tanquam ſua operatione defecta, forma hominis propria non eſt: propria tamen eſt ipſa eadem anima ſpeculans. Liquet hinc optimum hominis actum, & per quem homo ſit, ſpeculationem eſſe. Vnde cùm, ut ante diximus, ſit in actu nobiliſſimo ſtatuenda beatitudo, recte hoc in ſpeculatione Dei ac intuitu. De quo Saluator: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum, & quem miſiſti Iheſum Chriſtum*. At quid cognoſcere, niſi ſpeculari? niſi perſpicere? niſi contemplari? Dixiſſe poterat, ut fruantur, ut diligant, ut inhæreant. Sed non ſic ait; ſed ut cognoſcant. Ergo in ſpeculatione Dei, beatitudo. Ecce quæ repercuſſis ad incudem malleis hinc atque hinc nunc pro fruitione, nunc ſpeculatione visa ſunt adhuc: dehinc alia videamus. D. Alia? quæ? Tu cum

rationibus unis huc me allexeris, mox aduerſis illuc abſtraxeris, vbi deſeris? in biuio? atque adductum in ſummam ſpem percipiendæ rei tam arduæ traducis ad alia? Vera fateor. Hac dubitatione funditus non explicata audiendis aliis vel iucundis aures ad mouere etſi vellem, minime tamen poſſim. F. Conſuerunt inſtitutores res difficiles quandoque tantum proponere, nec diſcutere, quo & diſcipulis cogitandi, & ſibi reſpirandi locus indulgeatur. Hoc per te video mihi non licere, vel quia cogitationis tuæ nimium, vel quia laboris mei parum te pigeat. utcumque id, aliàs videro, nunc moriger tibi eſſe non fugiam.

Solutio quæſtionis præmiſſæ, an in ſpeculatione, an in fruitione, ſit beatitudo: & inſuper, quid de comprehenſione. Cap. VI.

F. Exigis ut in ardua controuerſia ſedeam ut arbiter honorarius. Id ut in re non facile peruia facio non libens, ut in vtiliſſima inueſtigatione non inuitus. Prius tantum monitum te velim, quoniam mixtim ſermo nobis habitus de cauſa, ac de eſſentia beatitudinis, ne exiſtimes hæc non differre. Aliud enim beatitudinis cauſa, aliud eſſentia. Cauſa id eſt, quod cauſat beatitudinem, ipſum ſcilicet obiectum beatitudinis: eſſentia vero ipſa beatitudo. De cauſa quæritur, non ſpeculatio, non fruitio: ſed Deus cauſa, Deus obiectum. Ob hoc Propheta: *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* Fieri certe nequit, ut creatum quid alterius bonum ſit, quod nec ſui bonum, ſed participatum a diuino eſt. Notiſſimum autem alteri te id non poſſe tribuere,

N quod

quod non habeas. De eſſentia itaque beatitudinis quæſtio relinquitur, in qua ſentire videntur acutius, qui præferunt fruitioni ſpeculationem, quod non videatur aliud beatum eſſe, in Deum intueri. & hoc cùm agitur intuitionem cõſequitur veluti quadam neceſſitate fruitio. naturali quidem affectu perſpecto ſummo bono rapitur voluntas, ut frui velit. atque hoc eodem affectu nolle non poteſt. Sic expetunt naturalia quæque ſuos fines, quos etiam non appetere non poſſunt, ſicuti nec recuſare ſuam quietem. Quamquã autem ex hoc dignior videatur fruitione ſpeculatio, non tamen omni ratione nobilior. Ob hoc enim non ideo negauerim veritate ſubniti, quod de fruitione prælibatum eſt, cùm diximus dignius eſſe quod agit voluntas, cùm in Deum fertur, eoque fruitur, quàm quod intellectus, cùm Deum intelligit, & contuetur. itaq; intellectus, ac voluntas alterutrum horum partim excedit, partim exceditur ab alterutro. Id indicant quæ nunc audiſti, indicatur & aliis, quoniam cùm accidit, ut quod quis intelligit, & vult, ipſo intelligente, ac volente ſit nobilius tum intellectui, ut modo diximus, voluntas; quotiens contra intelligens, ac volens re intellecta, & volita nobilior eſt, tunc voluntati præſtat intellectio. Ita ut ſentiamus, vrget quod ſupra dicebatur, rem intellectam in intellectu ſub intelligentis, volitam in voluntate ſub ipſius volitæ rei, modo eſſe. Simpliciter autem hæc ſi compares, voluntatem ſuperat intellectio, quam & ſimplicius abſtractiuſque id eſt quod ei obiicitur (id nempe eſt veritas, quæ boni appetibilis ratio eſt) quam quod voluntati. quod ipſum appetibile bonum eſſe conſtat. Quo vero quid ſimplicius, eo & perfectius & nobilius. Cùm igitur

poten-

potentię ratio propria ex ordine ad obiectum conſideretur, cuius potentiæ perfectius obiectum eſt, ea perfectior exiſtimanda. Non me præterit quibuſdam illa, quam præmiſimus, cõſideratione videri voluntatem etiam ſimpliciter intellectu digniorem, quod ſit vltimus noſter actus, & omniũ optimus quo Deo coniungimur. Ea verò, ut aiunt, virtus nobiliſſima eſt, cuius opus reliquarum virtutum opera cuncta præcellit, & his ut dedita opera reſiſtamus, conſultũ non arbitror; quamquã prior ſententia verò propenſior videatur: niſi forte illud gratius eſt, hæc inter non odium ex comparatione, ſed amicitiam ex victoriæ alternatione confouere, ut alterum non magis excedatur ab altero, quam excedat; atque inter intellectum, & voluntatem, non ea quæ dignioris ad minus dignum: ſed quæ excedentium ac inuicem exceſſorum ſit proportio. Itaque nonnullis videtur hæc duo conſona eſſe adeo, ut beatitudinis vnius eſſentiam vnicam in vtroque conſtituant. In intellectu ſane, prout ſub ratione primi veri Deum contemplatur in voluntate, prout intuitione præuia ſub ratione boni Deo fruitur, nec ob id minus ſimplex eſſe beatitudinis obiectum. Tunc namq; tantum compoſitum dici poſſe, cùm actu potentiaque conſtaret: non ſic quando ex actibus pluribus, ut intellectus, & voluntatis. Neque enim, ut his videtur, voluntatem intellectumque potentias duas eſſe, imo nec propriè vnam potentiam, cuius concretione ſunt abſtracti; ſed duos actus inter ſe gradatim conuenientes, quod voluntati per intellectum iter ex agnitione, intellectui per voluntatẽ terminus, finis, quies, ex fruitione cõparetur. Huic verò ſententię aſtipulari nos inuitat rebus in omnibus expetenda

concordia, cuius omnino maxima vis: nam & minima exaltat, & labantia erigit: at contra diſcordia res maximas inclinat, ac floridas euertit. Inter omnes autē homines hi precipue qui philoſophantur hi ſunt, quorū maxime intereſt humani generis nutrire concordiam. De veris loquor Philoſophis, qui de ratione viuendi cùm ſua vita, exemplis, tum & doctrina, præceptis, alios inſtituunt. Ad quid enim tot viuendi præcepta, tot legum ſcita, niſi ut amotis vitiis, quibus odia virtutibus, quibus pax alitur, imbuamur? Sed hi iidem philoſophi ſicuti concordiæ ſtudent in aliis conſimiliter, multoque & magis decet, ut in ſe ipſis? Quid namque abſurdiùs, quàm opere damnare, quod ſermone comprobaſti? Hanc ob rem oportet hos eoſdem Philoſophos, etiam cùm diſputant, non inhiare confundendis aliorum opinionibus, ſed quaqua via tutandis, aut moderatione iuuandis, aut cùm diſſonæ ſunt, reducendis ad concordiá, in quo plurimos videmus prę cupiditate glorię pecaſſe. Sed notant prȩcipuè nonnulli virū alioquin maximum Ariſtotelē, qui quo Philoſophiam ſolus commentus crederetur, raro quidquam, niſi ut improbaret, memorauit ex nomine, ac ſi ante ipſū recte aliquid de philoſophia nemo ſenſiſset. Hec igitur caueamus defendendis concordandiſq; ; non ſtudioſe improbandis opinionibus vacemus. Ex tribus ergo ſententiis, quarum vna beatitudinem in voluntate, in intellectu reliqua, tertia in vtroque conſtituebat, nulla, ut ex ſuperioribus liquet, abſque ratione poſita videtur: quamquam, ſi velis recte exiſtimare, primam digniorem, acutiorem aliá, tertiam tutiorem poſſis dicere, atque etiam, quoniam litem ſedat, æquiorem. Quam verò ex tribus his ſententiis volueris,

ris,imiteris licet. Parui nempe refert. Ego autem quod attinebat ſi explicatum eſt,ſat duc o. Niſi tamen parum in re tam ardua proſpicio,reſeratos poſtes opinor ad harum opinionum, quam libuerit,protegendam. Nunc quoniam de tribus,in quibus dictum erat conſiſtere beatitudinem (erât illa Deum intelligere,tenere,frui) duo ſunt abſoluta. Nam de intellectione, & fruitione diſcuſſum eſt. Harum in vtra ſit a principalius beatitudo ſit,niſi & aliud attingamus,quod dixi,tenere, videbitur comprehenſio vel neglecta, vel vna, è tribus poſita ſuperuacua. Sed, ut ante diximus,illis duobus cognitis,tertium facile deprehenditur. Eius namque ſpeculationis quia Deus perſpicitur, & intelligitur a beatis eſt aſſecutiua comprehenſio. Quia Deus cùm nulli non præſens, tùm beatis eſt præſentiſſimus per gratiam, qua communicat eis cum ſecuritate vitam & gloriam. Vnde ipſa comprehenſione non tam beatorum actio propria, & ſeparata ſignificatur,quàm deſignatur largitio clementiaque diuina: & hac largitione ſe dictis offert beatis,permittitque ſe intelligi pariter & comprehendi. Quoniam igitur comprehenſio non propria beatorum eſt actio, diſputatur a nemine, ſitane principaliter in ea ſit beatitudo. Non ab re tamen inter tria quæ præmiſimus enumeratur: quia ſi beatis Deum intelligentibus, ac fruentibus deſit comprehenſio,non iam beati eſſent. Qui quod intelligerent eſſe ſuum bonum non effectu,ſed deſiderio tantum aſſequerentur, aut conſecuti amittere dubitarent. His comprehenſio ſucurrit? Qua cùm beati Deũ præſentẽ teneant, tollitur deſideriũ, cumq; certũ, & æterna ſit timor ſucciditur amiſſionis. Ita tribus his Deo intelligendo,tenendo, fruendo,beatorum conſtat vera,

vera, certa, conſummataq; felicitas. Tu quæ diu iam ſiles, visne ad hæc quicquam? D. Velim, quid rogitas? Hoc maxime ne rogaſses. Ita me afficeret oratio, ac me me in me coegerat, ut, quod dicitur, vbinam gentium hęrerem pedibus haud perſentiſcerem. Potiora tamen illa, de quibus dudum agere volebas (ſe qua vlla ſunt) ſi libitum eſt, explicato. F. Faciam, ac lubens.

Formantur aliquot Quæſtiones de conſummata beatitudine: & ſoluitur vna: qua ratione beati ante reſurrectionem, ſine corporis oculis Deum vident. Cap. VII.

F. Te cùm de consũmatę beatitudinis poſseſſione nõnulla diſſerere cupiebã, quæ ideo dixi potiora, quia ſicuti præſtare videtur incumbere poſseſſioni, quamquã admodum ingrediaris inquirere, ſic iſta quæ de conſummata beatitudine illis, quæ modo de conſummanda dicebantur. D. Eſtne alia cõſummatio, quàm Deũ intelligere, tenere, & diligere? F. Protius nulla, neque id dixi, ſed de ipſa conſummata quædã velle me agere, quæ non generalia, ut illa de intelligendo, tenendo, fruendoque Deo eſsent: at minutiora, atque ideo ſuo modo potiora, ut ex his ipſam beatitudinem quaſi quod aiunt palpemus manu. Eiuſmodi ſunt. Cùm beati Deũ videant, qua ratione hoc ante reſurrectionem abſque corporeis luminibus? Quia ſi vident ſine oculis, quid oculi poſt reſurrectionem afferent commodi? Si præterea Deus a beatis animabus tenetur, ad quid corporũ reſumptio: ſit actu, ut palpent non eſt opus? Si etiam, quod ad tertium ſpectat, Deus a beatis diligitur, volentibusne, an

inuitis?

inuitis? Cui vltimæ dubitationi cauſam attulit, quod antea diximus, cognito ſummo bono rapi voluntatem, ut frui ita omnino velit, ut nolle non poſſit. Sunt & pleraque his af-finia, quæ propoſito qua pertinebunt, attingemus. Ac prima quidem quæſtio prope non digna viro docto. Intuendis enim incorporeis ad quid lumina corporea? Quæ veluti corporis inſtrumenta nihil niſi in ea quę pariter corporea ſunt poſſint. Nam quod cognoſcitur ad cognoſcens proportionem habeat oportet, qua cognoſcenti cognitum vniatur. Intellectus igitur beatorum intellectualiter Deum perſpicit lumine ſuffragante per gratiam, vt prius diximus, infuſo. Ad hancque intuitionem nulla media opus eſt ſimilitudine, quæ vel nulla reperiri poſſit idonea repræſentare diuinam eſſentiam. Sed ipſa Dei eſſentia ſe ipſa maxime cognoſcibilis, ut quæ purum eſſe ſit, cùm beatorum objicitur intellectui, conſtituit illum in actu ſe ipſum cernendi, & id tamen non efficitur abſque oculis, ſed non corporeis, at cordis & mentis. Hi ſunt nimirum acutiores, ac firmiores corporeis: quod illi, niſi corporea & palpabilia cõſpiciunt, nec illa omnia, ſed ea tantum, quæ oculorum aciem non exſuperant, nec niſi ad certam diſtantiam, & eam quidem perexiguam; neque hoc continue & ſine intermiſſione: ſed reficiantur oportet cùm ſomno in dormientibus tum vigilantibus occluſione palpebrarum, quam videas in omnibus eſſe frequentem. Contra autem iſti & corporeas res intuentur, & incorporeas (& quod omnem oculorum aciem, imo & cuncta corporea incorporea que ſuperexcedit) diuinum eſſe. Tum & ad omnem diſtantiam atque ad omnem differentiam pariter, ac per omnem aſſiduitatem temporis,

tum

tum & abſque vlla laſſatione, quod nec videndo fatigentur Deo? Imo inſpiciendo perficiantur, & acuantur. Ob hoc,cùm oraret Apoſtolus pro Epheſiis,ut aperiret quibus oculis Deus inſpicitur,expetiit,ut haberent illuminatos oculos cordis, ut ſcirent, quæ ſpes diuinæ vocationis, quæ diuitiæ,gloriæ, quæ in Dei ſanctis hereditas, quæ in nobis ſit eminens diuinæ magnitudo virtutis. O perſpicax & cœleſte ingenium, quàm aperte, quàm breuiter modum reſeraſti Deum videndi, in eoque pariter agnoſcendi ſpem noſtrã, diuitias,hereditatem,Deique in nobis excedentem magnitudinem, ac virtutem. Itaque oremus & nos cum Apoſtolo,ut in nobis oculi cordis exſerantur. Si enim cęco nato potuit oratio non oculorum,quos non haberet, apertionem, ſed ipſos etiam oculos impetrare: quo magis, quos habemus,ſed obſeratos orationibus reſeratum iri, cõfidere poſſumus? Multoque hoc citius, quod de corporeis oculis cæcus,nos de incorporeis & mortalibus expoſcimus. Mens namque vti corpore agilior, ita cuilibet in ſe admittendæ diſpoſitioni accommodatior,multoque paratior.

Soluitur alia Quæſtio: Si beati Deum vident ante reſurrectionem, quid commodi afferrent corporei oculi poſt reſurrectionem. Et ſoluitur etiam alia: Quod olfactus odorabit in cælo. *Cap. VIII.*

F. Glorioſos in patria, priuſquam corpora reſumpſerint, Deum oculis mentis non corporis intueri,quaque id ratione fiat,ſatis explicatum arbitror. Illud itaque, quod ſecunudm hoc quæſitum fuerat,diſcutiendum eſt: Si beati ſi-

ne oculis Deum vident, cui commodo erunt pòſt reſurre-ctionem eis oculi? Nam & hunc videndi, & reliquos pariter corporeos ſenſus beatis aut deeſſe aut ſupereſſe quaſi ex abundanti nulla ratione cogitandum. Ex altero enim eſſet reſurfectio non perfecta, ex reliquo prorſus ſuperuacua: & horũ alterutrũ ſentire penitus ſacrilegũ. Erunt igitur ſenſus in corporibus reſurgentium, eruntque non otiantes. Vt enim res incorporeas corporei ſenſus percipere, ut nunc diximus, non poſſint, ſed corporeas tantummodo, vtque etiam eaſdẽ corporeas ante reſurrectionem anima cordis oculis perſpiciat, corpori tamen iuncta has ipſas corporeas perfectius intuebitur. Imo & intuendis etiam incorporeis hæc corporum reſumptio multo fuerit adiumento. Siquidem naturalis animæ notitia prouenit abſtrahendis imaginibus ex aſpectu ſenſatarum ſpecierum, quæ phantaſmata nuncupantur. Hanc naturalem notitiam anima corpore vacua non habet: nec ideo tamen caret notitia, quia per diuini luminis influxum aliam notitiam aſſequitur, & hac intelligit, quomodo & ipſi angeli: atque hic poſterior modus étſi in angelis priori modo perfectior, non æquè tamen in hominibus. Eſt enim hic modus in angelis ſecundũ naturam; in hominibus verò prior modus, ut diximus, naturalis, hic per accidens. Nonne illud nunc perſpicuum, quod modo diximus, ad perficiendam animæ notitiam non corporearum modo, ſed incorporearum etiam rerum, corporum reſumptionem opitulari? In qua Platonicis non aſſentior exiſtimantibus animas vi quadam, & tanquam vinculis & carcere, corporibus includi: inde autem ſolutas cœlum petere; ibique non ut prius, dum corporum mole præpedie-

O ban-

bantur, tenue ſed acutiſſime de quibuslibet ſpeculari, imo, ut vides, perfectior animæ notitia corpori nexæ, vtque ſecundum naturá quaſi ſoliuagæ, quod quia iungatur ei eſt natura, non carcer. Sed & poſteaquá aduenerit corporum ſumtio, mole grauedinis & tenebrarú corpora nó tabeſcét. Erunt enim non corruptibilia, non tetra, non denſa; non grauia, at impaſſibilia erunt: erunt clara, erunt ſubtilia, & agilia, quæ quatuor dotes glorioſi corporis appellantur. & de his poſtea, nunc quod cepimus. His enim liquet, quod intendimus corpora perfecta reſurrectione eſſe animabus adiumento, nec fore, ut corporei ſenſus aut abſint corporibus illis, aut inofficioſi inexercitatique commorentur & maneant. Occurritur hic a nonnullis ſane bonis, ſed ſimplicibus, & parum doctis. Quid inquiunt olfaciet odoratus in cœlo? Quid guſtus diſcernit? Et hi fortaſſe nos ſic interrogent. An meminiſti te dixiſſe beatos, nutrimenti non indigos, ſed eſſe ſicut Angelos Dei? Memini, quid tum? Plane hoc illi videtur aduerſari. O ita loquentium, & ſentientium faciles cogitationes, imo potius ſine vlla cogitatione leuiſſimæ voces. Cur non idem quæritis de viſu, de auditu, de tactu? quaſi quæ his percipiantur ſenſibus in cœlo ſint, non quæ illis. An quod ad odoratum ſpectat, exiſtimatis ibi odorum deeſſe fragrantiam? Non ita exiſtimauit, nó exiſtimauit ita Ioánes in Apocalypſi, cùm ait ſeniores phialas habentes, odoramentorum plenas Deo aſſiſtere. Regulos quoque, imo & priuatos non paucos, videmus ſua cubicula pigmentis variis aſpergere: ergo mortalium terrea habitacula odorum copiam Dei immortalis, & ſanctorum

non

non amplius mortalium cœleſtia domicilia horũ inopiam habere ſentiemus? Nec verò ſicut in terris corruptibilia, ſed incorruptibilia ſunt in cœlis ornamenta. Quod neque conſiſtere corruptibile in cœlo non corruptibili poteſt. Senſit hoc ipſe idem Iohannes in eadem Apocalypſi. Nã ne odoramenta quæ memoraſsẽ arbitraremur inſtar eſſe noſtrorum, quid ea eſſent, ſubtexuit, & quid? Sanctorum inquit orationes. Enimuero odor hic odor eſt vitæ, eniteſcitque non tam in his, qui re ipſa, ſed his etiam qui mera ſpe compotes ſunt beatitudinis, quàm appoſite de his Apoſtolus: *Chriſti bonus odor ſumus Deo in his, qui ſalui fiunt, & his, qui pereunt: aliis quidem mortis in mortem, aliis vitæ odor in vitam.* Nempe dominus orationes, & merita non eorum modo, qui in cœlo regnant, ſed eorum quoque, qui in terra militant, odoratur. Et hæc orationum, ac meritorum odoramenta noui Teſtamenti, & iuxta ſpiritum: illa veteris, & ad litteram, quæ prodibant ab holocauſtis, e quibus cum immolaſſet vir iuſtus Noe, ut in Geneſi legimus, odorẽ ſuauitatis odoratus eſt Dominus. Plane ritum illum vetuſtum Redemtor innouauit odorem illis antiquis potiorem offerens ſe ipſum. Vt eſt enim apud Apoſtolũ, *ſe ipſum tradidit pro nobis hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* O incomparabilis oblatio. O ſuauitas ineffabilis. ne maior, ne fragrantior, ne Deo acceptior eſſe nulla poteſt. Hanc Redemtoris oblationem Apoſtoli, hanc ceteri ſanctorum imitati, non animalium, ut in veteri lege, ſed ſuimet, ut in noua obtulerunt holocauſta; quidam per ſanguinem proprium, omnes per ſpiritum humiliatum, memores quoniam ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, & quod Deus cor

O 2 non

non deſpiciet humiliatum, atque humilibus dat gratiam. & vero non diſpicit: qui nec non pius eſſe, nec immiſericors poſſit. Oppugnat autem pietatē, & miſericordiā nihil omnino magis, quàm eos, qui vindictam deprecentur, aut pœnā miſericordiamque depoſcant, non miſerari. An adeo Dei pietatem, & miſericordiam in nobis, ne quicquā laudamus? Quam & in quouis Principe, & omnino in claro quoque magnique animi viro deſideramus. Sicuti enim ſuperbos dejicere celſi eſt animi, ita & humiles erigere non minoris. Quare vtrumque iuxta, & in æquo poſuit Maro:

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

De eadem re, ſcilicet de Olfactu. Item ſoluitur alia Quæſtio, quid Guſtus diſcernet in cœlo. Cap. IX.

F. Multis, ut cernis, confirmatur, nō ocioſum in reſurgentibus olfactum eſſe, non etiam in cœlo deeſſe quid odoretur. D. Silere hic nequeo. F. Quî quæſo? D. Quis ille tam patiens, qui perferat, aut tam cœcus, qui non videat te de vno propoſuiſſe, ac non de illo probaſſe, ſed prorſus alio? Iam reor te id tenere quod dico: dicam tamen apertius: non inſtituiſti de olfactu, de odoratu? Non nitebare, ut oſtenderes corporeum odoratus ſenſum in corpore, poſt reſurrectionem eſſe? Quid ad hoc orationum odoramenta? Sunt hæc corporea? F. Eſt hoc id graue, quo adactus es ad loquendum? Imo ad interloquendum potius? Ego vero exiſtimabam te, ut haberes incorporeos odores corporeis longe potiores, non tam corporeos non quæſiturum, ſed ne memoraturum quidem. At etſi corporeos expetis,

petis, putas corpora ſanctorum odoramentis caritura, quorum orationes audiſti odoratu ſuo phialas imbuere, atque complere? Habent profecto miros odores ſempiternos illos quidem,& inalterabiles, uti & ipſa vnde prodeunt ſunt corpora. Non enim ut olfactu ſentiantur id exigitur, quod in corruptibilibus noſtris rebus,a quibus ut bene oleant humidi aliquid, ut phyſici perhibent,reſoluatur, & in aerem admittatur,& olfactu admoueatur oportet. Huiuſmodi autē reſolutio beatorum corporibus manare nequaquam poteſt: quod impaſſibilia, quod corruptioni non obnoxia, itaque nulla eliquatione ſolubilia. Quid tunc, inquies, rei erit, vnde ad odoratum hæc ferantur? Ipſa procul dubio corporum dignitas,nobilitas, excellentia: qua omne quod habuere ipſa hęc corpora corruptibilia perfectiori eminentioriq; modo habent æuiterna. Odorem igitur olim corruptibilem conſequens eſt habeant incorruptum. Nonnulli præterea phyſici opinantur, illis non omnino aſſentiendū, quos nunc memoraui, ſentientibus odoratum niſi humore ſoluto non conſtare. Conficitur enim (ſic his videtur) alioquin. Nam,ut aiunt,& vultures cibum petere creduntur per odoratū acciti e longo tractu: quo huius euaporatio ſeu reſolutio non pertingit. Sed hi qua ratione vultures odore permoueantur ita eminus, non aperiunt, non depromunt. nec ipſe quoque Ariſtoteles,quem iſti videntur imitati de vulturibus: ſed nomine tacito de quibuſdam alitibus dicit ea longo itinere ad alimentum ab odore tranſduci. Nec verò aſſerit Ariſtoteles quod illi fieri poſſe, ut abſque humidi reſolutione quid odoretur. Tanū dicit, olfacientium diuerſitatem, ut quidā longius, alii anguſtius ſentiant, olfa-

ctus

ctus contingere varietate. eamq; ob rem fretos olfactus potiori virtute remotius perſentire. Mihi, ſi quæres, quid probetur, id vero ſimilius apparet, in naturalibus odoramentis huiuſmodi ſoluti vaporem intercedere, eiuſq; ad olfactum acceſſione ſenſationem generari. Nam & illud doctiſſimi opinantur: nullum miſtum inuaporabile. Quod eo accidit, quia in vnoquoque miſtorum partes elementorum ſunt, eidemque ſibi obuiæ facile alterabiles, nihiloque ſecum conſiſtentes, atque hoc ipſum ab re quaque vaporem egredi, & ſi non rebus in omnibus apertum, in non paucis tamẽ nulli non peruium. Cui namque abditum calentes cibos eſſe fumiferos? Vinum præterea ſolo vapore inebriare etiam abſtemios multi teſtantur. Taceo de reliquis adeo multis, ut ſit hoc dictu non facile. Qua de re, & in ceteris quibuſque miſtis idem exiſtimandum; quamquã in nonnullis videatur id imperceptibile, aut hoc agente rei quæ ſentiatur aptiori miſtione, aut eius quæ ſentiat obtuſiore ſenſu. Nam ſicut ingenium, ita & ſenſus in omnibus non pares. Aſt in beatorum corporibus quia, vt diximus, incorruptibilia erunt, & inalterabilia, vaporatio huius, ut etiam diximus, non erit. Quod tamen ex eis odoretur erit, multoque adeo quàm in terris perfectius: quo & ſe ipſis ante mortalibus eorum iam immortalium omnia meliora. Sic explicitum cenſeo, quod illi quærebant, quid in cœlis ſentiet olfactus. Nunc de Guſtu itidem agendum eſſet, niſi & de ipſo planum foret eo, quod modo dictum eſt, beatorum omnia multo quàm ante beatitudinem meliora. Sane hoc vis forte non ſic in genere, ſed diſcretius. Porro dic unde Guſtus? D. Ab humido linguæ inexiſtente. F. Recte, quia

ſicuti

ſicuti quod videtur color aut lux; ita, & humor quod guſtatur: humida vero beatorum eſſe corpora humidiq; capacia non credis? Nonne omnes ſuo quiſque cum corpore reſurgemus? Ita ergo, ne quid beatitudini deſit beatorum, in lingua quædam apta guſtari erit humiditas. Hæc autem ipſa beatitudine, aut a beatitudinis auctore cauſabitur: res quidem creditu quàm probatu facilior, qua humiditate guſtui admota, quod ſemper erit, nunquam non erit, & guſtatio. O felix humor. O ſuauiſſima dulcedo, guſtabunt quid humidum ſenſu, & in ea guſtatione Dominum videbunt intellectu, hinc complebitur illud Propheticum: *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Cur non ſic ait, Tangite? Quia plus eſt *guſtare*; nec tantum guſtare, ſed quod eſt ipſa beatitudo, *& videte.* Et quid? *Quoniam ſuauis eſt Dominus.* Quod additū eſt, ut beatitudinis rationem agnoſceremus. Vnde & alibi: *Suauis Dominus, & mitis, & multæ miſericordiæ.* Et rurſum: *miſericordia tua ſuauis.* Quid enim Deo ſuauius? Quid mitius? Quid ad miſericordiam procliuius? Quin ipſa potius eſt ſuauitas, ipſa manſuetudo, ipſaque etiam miſericordia.

De Comprehenſione beatorum. Quid ad eam operabitur corporum reſumtio. Et pro parte ſoluitur Quæſtio: Cùm Beati diligant Deum, an volentes, an inuiti?

Cap. X.

F. Nunc quoniam quæ de viſu beatorum quærebantur abſoluimus, quibus etiam adjecimus de ipſorum odoratu, atque guſtu: ſupereſt illud de comprehenſione. Si enim

enim ante reſurrectionem Deus a beatis tenetur, ea oritur quæſtio, quam retulimus. Quid corporum reſumtio comprehenſioni ſuffragabitur? Sopitur tamen hæc dubitatio ex his, quæ de viſu diximus, dum oſtenderetur beatorum notit à reſumptis corporibus futuram clariorem. Nam nec illud addubitari poteſt, ibi defuturum quod palpetur. Nonne enim dictum eſt, corpora ſuis quæque cum ſenſibus ſurrectura: in omnique adeo perfectione qualia prius fuerant, longeque etiam potiora? Ergo ſicut antea fuerunt, ita & perfecta reſurrectione palpabilia erunt, atque omnino vehementius. Ita non erit nequicquam iſta reſumtio, qua beati Deum notitia, ſuaque inuicem corpora tactu certioribus comprehendent. Sequitur aliud plane difficilius, quod & antea quærebatur de beatorum dilectione, qua feruntur in Deum: An frui ita Deo tenaciter ut diximus, velint, ut nolle non poſſint. Quod ſi eſt, videatur forte nonnullis nimium his deeſſe, quibus libertas ſublata ſit: cuius, ut ait Cicero, proprium eſt, ſic viuere ut velis. Quo enim pacto dicentur viuere quomodo velint, qui quod velint nolle, aut aliter velle non poſſint? Qua etiam ratione conſtabit, quod Apoſtolus ait, Creaturam in regno a ſeruitute in libertatem filiorum Dei liberandam? Atqui hæc quidem quæſtio latius manat. Nam & illud quæri ſolitum: Arbitriine libertas in Deo ſit, quod bonum nolle, aut malum velle non poſſit: tum & aliud: bonine angeli demereri, aut malè promereri valeant: & huius non pauca, in quæ, ob incuriá dignoſcendi rerum naturas, non raro dilabimur. Vbi enim audiuimus eam dici libertatem, qua quod volueris mox conficere, ac ſimiliter, ut nolueris,

in

in aduerſum tendere non vereris, confeſtim erumpimus, ut non tantum cogitemus, quin & aſſeramus, omne id libertate vacuum, quod e duobus aduerſis ita alterum tantũ, ut non & reliquum, poſſit. In eo enim libertas, ut aiunt, contradictionis eſt, duorum oppoſitorum vtrumlibuerit poſſe, vtque alterum elegeris haud ideo alterum e tua ſubduci poteſtate. Quiſquis autem ex his mouetur, admonendus erit, voluntatem non eadem ratione in finẽ, & in ea quæ ad finem ſunt ferri: quoniam finis, non electionẽ eſſe, ſed voluntatem, contra vero eorum quæ ad finem, non voluntatẽ, ſed electionem eſſe. Nemo quippe conſiliatur appetendane felicitas? Quis enim dubitet an deſideranda, propter quam omnia deſiderantur? Ita nec legiſlator conſultan affectanda iuſtitia: nec medicus, an ſanitas. Sed de his tanquam indubitatis bonis, quibus artibus comparentur inueſtigant. Vere nempe Ariſtoteles: *Felices eſſe volumus, non eligimus*. Volumus igitur felicitatem, ac nolle non poſſumus. Nihil tamen eſt, in quod magis noſtra voluntate rapiamur? Surſum leue, graue deorſum, vel nullo impellente ferri videmus. Id igitur coactа faciunt? Minime. natura potius: cuius vis eſt, ut ſuapte natura ſingula quæque locum appetant ſuæ quietis.

De eadem Re. Cap. XI.

SEd continuo dicas coactum nihil iam reliqui. Si & id quod nolle non poſſis, nihilo ſecius tamen eſt voluntarium: quaſi id quod ſemper velis minus voluntarium ſit, atque illud quod velis quandoque non ſemper, aut potius

quid magis voluntarium, quàm quod ita vis, ut ſemper ſic velle non nolis, aut quod perfectius eſt nolle non poſſis? Quid enim coactum, aut cogere? Non profectò aliud cogere, quàm contra ac velit quem agere. Itaque coactũ eum cenſemus, qui quod nolit, agente aliquo quod extra ſe eſt, ducitur ut velit. Neque hunc etiam prorſus coactum, quia ducitur ad volendum, non cogitur. At coacta voluntas, voluntas eſt, frequens locutione prouerbium. Hoc ergo, quod coactus hic dicatur, non ideo eſt, quia prorſus nolit, ſed eo, quia non etiam pure, ac penitus velit, atque ob id, quia hoc nõ eſt ab eo ex tota mente volitum cõditionata neceſſitate dicimus violentum. Simpliciter autem compulſus is dicitur, qui non metu ad volendum, ſed vi præciſa velit nolit cogitur, ut non iam agere, ſed pati potius videatur. Ita ordine conuerſo voluntarium, non ſimpliciter id eſt, quod ita volumus, ut & nolle poſſimus. Simpliciter autem voluntarium, quod ſemper volumus, & nunquam nolle volumus, nec poſſumus; & hoc, quia ſecundum naturam volumus, omnino maxime voluntarium. Sic ex contrario quod contra naturam eſt violentum appellamus. Nunc ita ſi placet ad intenta conferamus. Diligunt Beati Deum, & ita diligunt, ut non diligere nunquam poſſint. An ergo inuiti? Nihil minus. Cur ita? Quia ut diligant nulla neceſſitas, ſed maxime volens, ut ſic dicam, voluntas impellit. Et hæc eorũ voluntatis libertas, quo magis conſtans, eo etiam magis a coactione tuta magiſq; libera cenſenda eſt. Sint duo fortes viribus, alioquin pariter validi: niſi quod alter laboribus quandoque frangitur, & a fortitudine remittitur, non reliquus. Vtrum tandem exiſtimes fortiorem? Nemo hic titubet,

iubet, omnes de illo aſſerent, cuius virtutem contentione videant non imminui. Cur non idem e duobus volentibus, ut eius voluntas, quæ ita vult ut nunquam nolle velit, nec poſſit, liberior dicatur, ea quę ita vult, ut poſſit & nolle? Beatorum igitur volitio, qua Deo ita inhæreſcunt, ut diuidi nequeant, non ex eo coacta, imo nec etiam minus libera. Summum enim bonum, & ſub ratione boni eorum offertur voluntati. Quid itaque eſt quo voluntas retardetur, quæ bono naturaliter, & ob hoc neceſsario tanquam fini innititur, & inhæret, non ſecus atque intellectus principiis ſimul, ut eorum vocabula vtraque terminorum non ignorat. cur, inquiet quis, mortales non ſicuti beati Deo inhærent? Eſtne ipſe beatorum tantum ſummum bonum? nequaquam. Sed mole corporum tenemur, ne Deum videamus. *Non videbit me homo, & viuet.* Sic ipſe de ſe ipſo. At ſi quo modo fieret, ut ſummum bonum ſub ratione boni perſpiceremus, mox in illud naturali neceſſitate ſumma tamen volitione ferremur. Nihil enim volumus, niſi quod bonum: nihil fugimus, niſi quod malum opinamur. Ipſa vero corpora glorioſa nihil impedient huiuſmodi viſionem: quia nec mole grauabuntur tanquam vallata dotibus illis quatuor, quas enumerauimus. & his aſſequentur, ut facile pareant nutibus animæ. Quod ut planius intelligamus de ipſis dotibus, quia ſic in ſuperioribus ſpopondimus, iam dicendum.

De quatuor Dotibus Animæ beatæ: & Concluſio Libri. *Cap. XII.*

DOtes has diximus impaſſibilitatem,& claritatem,ſubtilitatem inſuper, & agilitatem Has nonnulli ex eo legunt, quod ſcriptum eſt: *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Vt in fulgore, quia igneus,impaſſibilitas notetur.Non enim ſimpliciter fulgebunt, ſed ſicut ſcintillæ: quo fulgor igneus intelligitur. Ex ipſa vero fulgoris natura, claritas: ex ſcintillis ſubtilitas, in diſcurſu agilitas indicantur. Vnde & alibi de reſurgentium excellentia ad ſe ipſos, dum in carne vixerant, legimus: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget ſpiritale.* Quaſi impaſſibilitas per incorruptionem, per gloriam claritas, ſubtilitas per virtutem, per ſpiritalitatem agilitas demonſtrentur. Plane dotibus his beatorum corpora ad participandam animarum beatitudinem fient habilia. Ex anima namq;, vi cõnexionis ad corpus,ut præfertur, habilitatũ in ipſa corpora gloria redundabit; eritq; nõ temporalis hæc gloria, ut quæ fulgebit, in corpora impaſſibilia, & ita non amplius obnoxia corruptioni: ex eiſdem dotibus præparabuntur corpora,ut in omnibus pareant animabus,quarum actionibus non obſtabit corporum tenebroſitas, non denſitas, non grauitas, quæ non erunt; imo potius animabus corpora erunt adiutorio.Nam claritate,tum ſubtilitate, atque agilitate fient ſenſus acutiſſimi, quorum ſuffragio animæ perfectior quàm ante reſurrectionem, ut diximus, erit notitia.

notitia. Qualis vero, qualis illa claritas. Haud dubie non exigua: talis tamen quæ deceat, cuius excellentia per Euangeliſtam ſoli comparatur: *Iuſti quippe ſicut ſol in regno fulgebunt*. Per Apoſtolum autem claritate Corporis Chriſti aſſimilatur. *Expectamus* enim, ut ait, *Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui conformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*. Et hæc vltima collatio priori valde ſublimior longeque aptior. Vbi enim tanta quanta in Redemtore claritas? Vbi lux ſimilis? Nonne ipſe lux vera eſt, quæ, ut eſt in Euangelio, illuminat omnem hominem. Nec tantum hominibus lumen, imo & ſoli lucem idem ipſi largitur. Porrò illam beatorum ſubtilitatem qualem opinaris? Num igne ſubtiliorem? Quod videtur, ſi erunt illa corpora, ut præmiſimus, ſpiritalia. Minime tamen putandum ea ſpiritalia futura adeo, ut palpabilia eſſe, quod ſuum eſt corporis, deſint. Nihil enim, ut diximus, beatis deerit, quod ad perficiendum corpus attineat. At ſi palpabilia, quomodo ſubtilia? Quomodo? Per virtutem. Quæ tanta, ut aliquibus videtur, erit, ut eodem loco glorioſa cum non glorioſis corporibus, eorumque etiam vnum eodem tempore locis diuerſis eſſe poſſe, non ſit ambigendum. Quid enim? Dicis hoc Deo non poſſibile? Quid illud? Credis eodem tempore variis hoſtiis verum Chriſti corpus in exiſtere? Quidni credam, quando ſic eſſe catholicorum nemo hæſitet. Eſſem ego omnium perti naciſſimus? Recte. Sed illud quid? Corporis naturam pariter & loci mutare nequiuerit, qui & locum fecit, & corpus? Qui item eſt ſuper omne Cœlum, extra quod, ut eſt apud Ariſtotelem, neque locus, neque tempus inuenitur. Ego

Ego quod ad me ſpectat nihil hęſitem ab eo fieri poſſe non hoc modò, ſed & quæcumque utvis maxima. Nihil enim non poteſt, cùm poſſit omnia. Faciet autem, aut abſiſtet: ſolus nouit, quæ nihil omnium non cognoſcit. Agilitas verò beatorum qualis? An ut auium volantium? Quod innuit Iſaias: *Qui ſperant in Domino, aſſumant pennas, ut aquilæ*. Tu maiorem cogita. Quocumque enim volet ſpiritus, eodem abſque difficultate mouebitur & corpus: non tamen ſine tempore: ſi ſua vi, quæ finita eſt, facienda fuerit ea loci tranſmutatio: ſed ita perexigua, ut momento, ſeu quod aiunt, in inſtanti facta videatur. At Dei iuſſu, vel in inſtanti fieri hoc poſſe nil ambigo. Numquid enim ſine tempore de loco ad locum quid tranſmutare natura prohibébitur, qui, ut ſupra diximus, cum ſupra cœlum ſit, ſupra tépus, ſupra locum, ſupra naturam quoque eſt. Et hac ratione ductus Ariſtoteles ait, *ea quæ ſupra cælorum lationem ſunt, inalterabilia eſſe, & impaſsibilia, optimamque habentia vitam, ac per ſe ſufficientiſſima*. Quæ Deo ſoli per ſe, reliquis omnibus eius participatione conueniunt. Sed quid minuta colligimus? Omne quod beati voluerint, quodcumque illud erit, mox conſequentur. Nil nempe volent, niſi quod Deo placitum fuerit eos velle. Quis autem opinetur, quod Deus voluerit non futurum? Quisue titubet beatorum affectum vllibi, aut re in vlla remorandum? Quos ſupra monſtrauimus id tantum cupere, quod capere ſufficiunt, totumque habere quod capiunt. O ſi detur, ut felicitatem iſtiuſmodi nanciſcamur. O enim felicem diem, quo iſtuc perducemur, vbi creatura Creatorem intuebitur, fruetur, apprehendet ſecura, quod apprehenſuſſe nunquá deſerat,

deſerat, nuſquam deſtituat. Vbi erit exultatio perpetua, exultabunt equidem ſancti in gloria, eruntque Dei exultationes in guttur eorum. Quidnî exultent beatitudinem veram aſſecuti, intra quam totũ eſt, extra quam nihil, quod deſideretur. Quid etiã nõ exultent inſeparabiliter Deo vniti ſummo æterno bono, certo optimo fini, iuſtorumque veriſſimo conſummatiſſimoque termino beatitudinis.

EPILOGVS.

Videmur cum Dei ſuffragio quæſtionibus tribus, de quibus expetieras, totidem voluminibus ſatisfeciſſe. Quo enim ſtudio repudianda voluptas eſſet, quibuſque propugnaculis voluptatis patrono Epicuro, eiuſque pernicioſæ doctrinæ iaculis occurratur, oſtenſum eſt. Subinde ſenſim gradientes eam felicitatem attigimus, quæ, ut non vera prorſus ſit, inſtar tamen veræ eſt, quam temporalem appellaui Et de hac inſtructi ſumus, eam non in diuitiis, nõ potentia, honore, fama, gloria, non ſpeculatione conſtitutam; at ex virtute eiuſque operatione cum Dei timore, & mundo corde comparandam ſperandamque ſubſidio cunctorum opificis. Deque ipſo rerum opifice ſumus admoniti, quemadmodum illis ſacrilegis reſiſtatur, qui Deum, aut in cauſis finem vllũ eſſe non fatentur. Profecti deinde ad agendũ de vera beatitudine, quod tribus in rebus Deo, intelligendo, tenendo, fruendo, conſtaret, atq; in qua trium principaliter patefecimus: nonnullis interea diſcuſſis, quæ intercurrebant, quouſque quatuor beatorum dotes contigimus. de quibus tum quæ, tum quales eſſent ſub extre-

extremum perbreuiter reſeratum. Hæc igitur omnium mihi amiciſſime PETRE PAVLE menti affigamus, ut voluptates forti animo ſuperemus, ut virtutes ſummo ſtudio pleni diuini timoris excolamus: quarum operibus ornati ſi erimus, beatitudinem hic in ſeculo temporalem, & denique in cœlo Dei munere conſequemur æternam.

VITTORIO EMANUELE ROMA

F I N I S.

Digitized by Google